





Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 862 8° copy 1

F. - 6.


DA BOX

LN 862

ex. 1

M





PA
OF
V

Nic

Access
de

PASTOR
SIVE
PASTORIS
OPTIMVS VI-
VENDI AGENDI-
QVE MODVS,
PER
Nicolaum Hemmingium.



Accesserunt huc xxxvii. propositiones
de legitima veri cultus Dei ratione.

L I P S I A E.

C V M P R I V I L E G I O.

R. E
VIR
PIET
ST T
E

N
C

ciplina
querela
est com
pū cogita
perturba
ant nostr
abesse d
stolica,
stoloru

Et
discipli
res ven



REVERENDO
VIRO DOCTRINA AC
PIETATE PRÆSTANTI, MAGI-
STRO TICONI ASMUNDO,
Ecclesiarum Scanicarum Episcopo vi-
gilantissimo, suo fratri in Christo
charissimo, gratiam & pa-
cem precatur

Nicolaus Hemmingius.

CUM HAC PROXIMA ÆSTATE,
charissime frater, unà essemus, sæpè
incidimus in iustissimam laxatæ dis-
ciplinæ Ecclesiasticæ querelam: quæ sanè
querela procul dubio nobis cum omnibus pijs
est communis. Fieri enim non potest, quin
pij cogitantes de veteri Ecclesiæ disciplina
perturbentur multum: præsertim cum vide-
ant nostri seculi mores corruptissimos, procul
abesse à gravitate ac modestia Ecclesiæ Apo-
stolicæ, & eius quæ proximè tempora Apo-
stolorum est secuta.

Etsi autem veterem illam & laudatam
disciplinam, multi Ecclesiarum gubernato-
res reuocare studuerunt: pauci tamen dextrè

A 2

satis

P R A E F A T I O.

satis hanc prouinciam sunt aggressi. Multi enim nimis visi sunt rigidi, plures plus iusto remissi, plurimi superstitiosi. Hinc natae sunt Monachorum sectae ferè infinite: hinc extractae Eremitarum Mandra: hinc inuecta tot ἐπιτίμια καὶ ἀσκήσεις, quibus paulatim puritas doctrinae tantum non turbata est, & in locum fontis limpidissimi, effossae sunt cisternae humanarum traditionum foetentes & turbatissime. Ut autem haec prestigia magnifierent apud populum, Monachi Satanica fraude effecerunt. Nam iusticia, necessitatis, meriti, & cultus opinione, suas ἀσκήσεις & histrionicas fabulas palliarunt: non sine ingenti in filium Dei contumelia, & in infinitarum animarum certissimum interitum. Quanquam autem nostro hoc seculo istos errores taxarunt doctissimi viri, quorum veluti duces fuerunt apud omnem posteritatem piam celebrandi, Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon: qui duo viri etsi seriam purgandae doctrinae, & reuocandae sanctae disciplinae usq; ad extremum spiritum nauarunt operam: mores

tamen

tamen
non pot
cum ma
Cur
tur que
minima
saltem
ida, ind
easdem
primi p
admini
vitam t
runt ali
sanctis
alia do
regule
facienda
cuius cu
tenacius
uet. H
emplu
um per
pastori
viri

P R A E F A T I O.

tamen hominum cum doctrina emendare non potuerunt : id quod eos conqueri saepius cum multis audiui.

Cum autem hac inter nos, frater, ageretur querela, quarundam Ecclesiarum meminimus : in quibus disciplina, mediocris saltem, veluti ex postliminio est reuocata : idque industria & diligentia pastorum, qui easdem Ecclesias, quarum tunc meminimus, primi post reuocatam doctrinae puritatem, administrarunt. Hi enim cum sanctissime vitam transigerent ipsi, facilius voce potuerunt alijs persuadere, quod ipsi vita pia & sanctis moribus expresserunt. Non enim est alia docendi ratio expeditior, quam quum regule congruit exemplum. Regula quid faciendum quidque fugiendum sit monet : cuius cum viva pictura exemplum accedit, tenacius haeret quod docetur, & magis mouet. Hac ergo duo, regula videlicet & exemplum, coniuncta in illis pijs pastoribus, primum permouerunt magistratum, ut una cum pastoribus manum adhiberet, quò coniunctis viribus disciplinam collapsam erigerent. Ut

A 3 autem

P R A E F A T I O.

autem reuocata quodammodo disciplina maneret diuturnior & constantior, praefecerunt ei graues & cordatos viros, qui censors morum essent, ac gubernatores reuocata disciplina. Hanc faelicitatem illis Ecclesijs gratulor, oroq; aeternum Deum, vt indies magis abundant in omni cognitione & sensu, vt probent quae sunt potiora, & sint sinceri ἀπεόσκητοι, & pleni fructibus iusticiae in laudem & gloriam Dei: utq; perpetuo ita cum regula consentiat exemplum, ne vel regula à luce Euangelij, vel exemplum à regula aberret. Nam vbi exemplum cum regula non congruit, parum proficit docentis labor. Verè enim à poëta dictum est:

Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis

Cum subeant animos autoribus.

Chrysostomus de sua aetatis sacerdotibus conqueritur his verbis: Sunt multi sacerdotes, & pauci sacerdotes. Multi nomine, & pauci opere. Videte ergò quomodo sedetis super cathedram Mosi. Quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram:
non lo-

P R A E F A T I O.

non locus sanctificat hominem, sed homo locum: non omnis sacerdos sanctus est, sed omnis sanctus sacerdos est: qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui male sederit, iniuriam facit cathedra. Ideoq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedes, siquidem benè vixeris & benè docueris, omnium iudex es: si autem benè docueris & malè vixeris, tui solius condemnator es. Nam benè viuendo, & benè docendo, populum instruis quomodo debeat viuere: Benè autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo te debeat condemnare. Hæc Chrysostomus.

Noctentissima proinde Ecclesiæ pestis est malus pastor. Malus autem est, & qui malè docet, malèq; viuit: & qui benè docet, sed malè viuit: & qui malè docet, sed benè videtur viuere. Contra autem solus is meretur audiri bonus pastor, qui ut rectè docet, ita & sanctè viuit. Is enim utraq; manu cælestem Ierusalem ædificat. Doctrina enim quid, exemplo quomodo agendū sit ostendit.

P R A E F A T I O.

Hinc patere existimo, fundamentum disciplinae omnium esse vitam pastoris, ad regulam non errantem expressam. Quamobrem nihil magis ad reuocandam sanctam disciplinam facere arbitror, quam si ministri Euangelij serio cogitent de seipsis primum regendis pia & sancta disciplina, ut doctrina & vita palchre consentiant. Hoc ubi fecerint serio, sperandum est, ut aliquando rectius agatur in Ecclesia, & minus oriatur scandalorum, quibus supra modum rudis offenditur populus.

Vtinam omnes pastores magnitudinem sui muneris cogitent: utinam non carnalibus tantum oculis regnum Christi intuerentur. Quando externi hostes irrumpunt in alienum regnum, atq; ferro & igni omnia vastant, nemo non dolet: nemo non, animo generose praeeditus, arma capit, ut se hostibus patriae opponat, eosq; à patrio solo arceat: idq; ideo ut in tuto sint corpora, & facultatula qualescunque saluae maneant. Haec animi fortitudo merito praedicatur: hic amor paterni soli laude imprimis est dignus.

gnus.
fugium
tranqu
ut igna
ti, ut p
ditores
multo t
Christi
prob da
excubia
acie fra
et dixi
libus oc
rais pr
rum h
Ecclesi
aperian
serio an
ior est e
uioy q
possit.
sapien
gri &
tatis

P R A E F A T I O.

gnus. *Contra autem, qui in tali necessitate fugiunt discrimina, & occultant se, ut suae tranquillitati consulant, meritò accusantur ut ignavi, ut timidi, ut in patriam ingrati, ut patriae desertores, ut aræ & foci proditores. At quando spirituales hostes, multò truculentiores carnalib. istis, regnum Christi inuadunt, quid sit? pleriq; pastores, pro dolor, dormiunt: parum memores quod excubias eos agere oporteret, & in prima acie stare aduersus hostium insultus. Sed, ut dixi, hæc minus curantur, quia corporalibus oculis minus cernuntur, & ab Epicureis prorsus ut fabulosa contemnuntur. Verum hîc speculatores ciuitatis Dei, hoc est, Ecclesiae pastores decet, ut oculos spirituales aperiant, ut cladem Christianæ Reipublicæ seriò animaduertant, quæ sanè clades maior est quàm ut ullis verbis explicari, grauior quàm ut ullis querelis satis deplorari possit. Muri ciuitatum, Dei beneficio & sapientum gubernatorum consilio, stant integri & illesi: sed morum munimenta & pietatis ornamenta magna ex parte cecidère.*

A S

Tecta

P R A E F A T I O.

Tecta ab ignibus sunt libera : sed corda funestioribus cupiditatibus ardent. Facultates tuto possidentur externa : sed animi vera diuitie diripiuntur. Prædia salua manent : sed præsidia cælestis Ierusalem inuaduntur. Robora corporum augentur : sed pectora minuuntur. Matronæ & virgines vim militum non patiuntur : sed animi turpissimis voluptatum blanditijs succumbunt. Non abducuntur nobiles , non ciues , non rustici , in tristissimam Turciei tyranni seruitutem : sed , quod est multò crudelius , tot dominorum tyrannide premuntur , quot vitijs laborant . Verè enim dicit Augustinus : Malus etiam regnet , seruus est : non quidem vnius hominis , sed , quod est multò grauius , tot dominorum quot vitiorum . Hæc mala omnem barbaricam vastationem facile superant : Imò ideo atrociora sunt multò , quia non corporum , sed animorum : non fortunarum , sed salutis sunt exitia . Quibus , quæso , iuste imputabuntur hæc mala ? Etsi autem hæc non solis pastoribus rectè imputantur : magna ex parte tamen non pauci illorum

illorum
rent
Dei ma
contra
ritualib
bus ar
in mun
lantia
Multi
aduersus
clamitea
se strenu
in acien
Nam e
scelera
git , ac
At qui
ranniden
tiam , e
cia , D
ne in
cum h
tana j
Christi

P R A E F A T I O.

illorum in culpa sunt. Nam si illi exalta-
rent (iuxta Prophetæ consilium , imò iuxta
Dei mandatum) ut tubam , vocem suam
contra scelera grassantia , & obijcerent se spi-
ritualibus istis hostibus , induti spirituali-
bus armis : minus vastationis morum esset
in mundo , minus scelerum & minus petu-
lantia & contumacia aduersus Deum .
Multi fortè se excusari putant , quòd sæpe
aduersus scelera in publicis concionibus de-
clamitent : quod sanè perinde est ac si quis
se strenuum militem gloriaretur , qui tamen
in aciem contra hostem prodire recusaret .
Nam cum in genere tantum accusantur
scelera , quilibet vel nocentissimus os ter-
git , ac si ad se nihil pertineret quod dicitur .
At qui in faciem probrum obijcit , ut ty-
rannidem , libidinem , iniusticiam , violen-
tiam , ebrietatem , obtrectationem , venesi-
cia , Diabolicas artes , acceptionem perso-
nae in iudicio , & alia huiusmodi : is verè
cum hostibus conserit manus , regnum Sa-
tanae fortiter inuadit , atq; à castris regni
Christi hostes pellit . Sic fecit Helias , sic
Nathan,

10.
sed corda fu-
dent. Faculta-
sed animi ve-
dia salua ma-
rusalem inua-
tentur: sed pe-
e & virgines
sed animi tur-
succumbunt.
cues, non ru-
tyranni serui-
delius, tot do-
er, quot vitijs
Augustinus:
es est: non qui-
est multo gra-
riorum. Hac
tationem faci-
a sunt multo,
um: non for-
a. Quibus,
c mala? Esti
s rectè impu-
en non pauci
illorum

P R A E F A T I O.

Nathan, sic Ieremias, sic Petrus, sic Paulus, sic Ambrosius, sic omnes prophetae, Apostoli, adeoque omnes veri pastores, hoc est, qui pluris fecerunt ouium sibi commissarum salutem, quam aut fauorem pulueris & cineris, aut fortunas, aut denique propriam vitam. Quicumque hic pericula fugit, ac castra Christi relinquit abiectis armis, merito ut ignauus, ut timidus, ut in Deum Patrem ingratus, ut Ecclesiae Christi desertor, ut religionis omnis & pietatis proditor pessimus habendus est: cuius portio in resurrectione erit cum Iuda proditore, qui curam marsupij maiorem quam legationis sibi commissae habuit.

Cum autem huiusmodi sermones, frater charissime, inter nos conferremus, coepisti à me petere, ut ex verbo Dei *ἡ ἀθήνα* quasdam colligerem, quae continerent solidam, quantum quidem id per me fieri posset, disciplinam, qua pius pastor regi, & cum fructu suo uberrimo, & cum auditorum suorum commodo, posset. Hoc etsi arduum & difficile mihi fore animaduerti, ideoque id
oneris

etrus, sic Pau-
 propheta, Apo-
 res, hoc est, qui
 missarum sa-
 alueris & cine-
 propriam vi-
 fugit, ac castra
 nis, merito ut
 Deum Patrem
 deserat, ut re-
 oditor pessimus
 resurrectione
 curam marsu-
 is sibi commissa
 sermones, frater
 emus, cepisti a
 & dicitur, quas
 nerent solidam,
 fieri posset, dis-
 gi, & cum fru-
 auditorum suo-
 etsi arduum &
 erti, ideoq; id
 oneris

P R A E F A T I O.

oneris in tuos potius humeros imposuisssem :
 tamen quia te excusasti nimis impeditum
 grauiſſimis visitationibus Ecclesiarum, quæ
 tuæ fidei commissa sunt, tibi idem à me sa-
 pius efflagitanti meam operam condixi, &
 promisi me conaturum, ut aliquo modo tuæ
 petitioni responderem.

En igitur Pastorem meum in publicum
 emitto, eumq; fortunæ subijcio, ut ferat quic-
 quid & bonis & malis visum fuerit. Quod
 si autem aliquem fructum ex hoc nostro Pa-
 store, pijs perceperint pastores, tibi acceptum
 ferant, qui & autor huius scriptiois fuisti
 & suasor. De Momis, quibus nihil placet
 nisi quod ipsi fecerint, nihil sum sollicitus.
 Rumpantur sanè ilia Codris.

Quod reliquum est oro æternum Deum
 Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut det
 suæ Ecclesie pios & fideles pastores, & nos
 unà coniungat ut unum simus in ipso, eum
 celebrantes, corde, lingua, & tota vita, quò
 tandem beata immortalitate donati, frua-
 mur conspectu δεξιποιμένος et mediatoris no-
 stri Iesu Christi in omni æternitate, Amen.

I N-

I
T
Iel
nimam
vt eas e
lus, erip
tuum hu
guine tu
sancto f
pascis.
nissimo
lis, & e
bus ver
faciant.
oues tu
quibusq
prium et
dicantur
am soli
lam vt
lum n
Nam i
vnum

8

I N V O C A T I O .

TE principem pastorem, Domine Iesu Christe, inuoco, qui solus animam tuam pro ouibus tuis dedisti, vt eas e faucibus lupi, qui est Diabolus, eriperes: solus oues tuas in ouile tuum humeris tuis portasti: solus sanguine tuo precioso lauisti: Spiritu tuo sancto sanas, & pabulo æternæ vitæ pascis. Tibi supplico, vt mihi indignissimo seruo tuo adesse tua gratia vealis, & ea scribenti suggerere ex fontibus verbi tui digneris, quæ ad piam faciant instructionem eorum, quibus oues tuas pascendas commendasti: quibusq; nomen, quod tibi soli proprium est, communicasti, nempe vt dicantur ouium tuarum pastores, tuam solius vocem sonantes, quam so- lam vt oues tuæ agnoscunt: ita te so- lum norunt, & sequuntur pastorem. Nam in te vno omnes sinceri pastores vnum sunt: quia vna est vox omnium,
qua

I N V O C A T I O .

qua tu aggregas oues tibi, quæq; pascis
 in amænissimis tuis pratis aggregatas,
 ac fontibus salutis liberalissime potas
 ac reficis . Vt igitur ministris tuis,
 quos pastorum nomine dignaris, op-
 timum viuendi agendiq; modum præ-
 scribam, tu effcito : & simul da grati-
 am, vt ipse cum illis iuxta disciplinæ
 præscribendæ normam, vitam totam
 peragam : donec curriculo vitæ præ-
 sentis expleto, tibi, qui Episcopus ani-
 marum nostrarum es, tradam spiritum
 quem dedisti. Tibi pastori animarum
 nostrarum, ac soli Deo cum patre &
 Spiritu sancto, sit benedictio, & glo-
 ria, & sapientia, & gratiarum
 actio, honor & virtus, & ro-
 bur in secula seculorum,

A M E N .

P A =

P A

P A S

V I V

O P

pal

fectus est,

ciplinam.

bitror: qu

rum ad of

In P e

ctentur tr

foli Deo

lia admin

los homi

In O

ratio, cum

Erunt

nis partes

P R I

litaria.

S E C

milia ad

T E F

ca & ex

Q V

tima pa

**PASTOR, SIVE
PASTORIS OPTIMVS
VIVENDI AGENDIQVE
MODVS.**

OPTIMVM pastoris, hoc est, eius qui pascendo gregi Christi legitimè præfectus est, viuendi agendiq; modum & disciplinam, duobus contineri capitibus arbitror: quorum vnum ad personam, alterum ad officium pastoris pertinet.

In **PERSONA** quidem pastoris spectentur tria. Priuata & solitaria vita, quæ soli Deo patet. Domus propria, & familiæ administratio. Et externa, quæ in oculos hominum incurrit, vita & conuersatio.

In **OFFICIO** vero, legitima pascendi ratio, cum suis partibus consideretur.

Erunt itaq; quatuor nostræ institutionis partes.

P R I M A, vita pastoris priuata & solitaria.

S E C V N D A, domus pastoritiæ, ac familiæ administratio.

T E R T I A, conuersatio pastoris politica & externa.

Q V A R T A, officium pastorale, seu legitima pascendarum ouium Christi ratio.

B

De hisce

De hisce quatuor partibus, ad personam & officium pastoris dominici gregis spectantibus, eo, quo à nobis propositæ sunt, ordine dicturus, perspicuas de singulis regulas tradam: quas si secutus fuerit pastor, quem instruendum suscipimus, non solum in hac vita fructus vberimos percipiet: verum etiam in futura, coronam immarcescibilem, quam princeps pastor promisit, reportabit.

D E P R I M A P A R T E,
Q V A E E S T V I T A P A S T O R I S
P R I V A T A E T S O L I -
T A R I A.

PA S T O R ouium Christi, omnium primum serio cogitet, se nusquam ita occultari posse vllis latebris, siue solus sit, siue cum alijs, quin perpetuo pateat, & conspectui Christi pastoris (pro quo legatione fungitur, cuiusq; vices agit) & oculis Satanæ hostis Christi, & aduersarij humani generis. Quorum ille quidem puritatem hominis amat, atq; impuritatem abominatur: Hic verò contrà, vt impuritate hominis summè oblectatur: ita puritate eiusdem grauissimè offenditur. Quemadmodum enim Christus ipsa lux est, ideoq; luce delecta-

delecta
ceps, t
Pro
eicq; de
uerfari
officij
ffiman
tuos ag
petuum
iurasti
autem
puritas
hil ipfu
des. A
fuo pal
quit:
Et
comm
virtute
luti sur
credant
us est se
ritate
illam
lnere v
ri deb
Apost
ens, a
ostenc

delectatur : Sic Satan tenebrarum princeps, tenebras amat, ijsq; afficitur.

Proinde tu quisquis es Christi pastor, eiq; dedisti nomen, caue ne cum ipsius aduersario, cui in baptismo primum, deinde officij ratione renunciaſti, colludas: exiſtimans cælari poſſe, quod intra parietes tuos agitur. Imo hoc potius ſit tuum perpetuum ſtudium, vt quæ grata ſunt ei, cui iuraſti & cuius vice fungeris, facias. Iam autem nihil quicquam gratius eſt illi, quàm puritas mentis & corporis: & contra nihil ipſum magis offendit, quàm animi ſordes. Atq; ea de cauſa Paulus commendat ſuo paſtori Timotheo puritatem, cum inquit: Te ipſum purum exhibe, i. Timoth. 5.

Eſi autem hæc puritas paſtori & ouibus communis eſſe debet, vt quæ prouenit ex virtute ſanguinis ſummi paſtoris, quo abluſi ſunt vtriq; , modò verè in Chriſtum credant: Tamen paſtori vel ideo ſtudioſus eſt ſectanda, quia alijs ſuo miniſterio puritatem commendare debet. Manum enim illam mundam eſſe oportet, quæ alienas diluere vult ſordes, ne tactu ſuo quæ mundaſſe deberent, ſœdius inquinet. Meritò ergo Apoſtolus paſtorem Ephesoꝝ inſtruenſ, ait: Attende tibi ipſi. Quo mandato oſtendit ſingularem in paſtore requiri dili-

gentiam, vt se purum & immaculatū seruet.

Quæ hæctenus de puritate pastoris diximus generatim, placet particulatim explicare, vt clarè pateat in quibus sita sit ista, quã in pastore nostro requirimus, puritas.

Cum itaq; puritatem requirit Apostolus in pastore suo, vult absq; omni dubio, vt & animus sit purus, & corpus castum, adeoque vt totus homo vt noua creatura se Deo subijciat in vera sanctitate.

Quantum autem ad animum attinet, in eo spectentur hæ partes: MENS, COGITATIO, AFFECTVS, VOLVNTAS, STVDIVM. Ita enim hæ partes natura deinetæ sunt, vt ab vna in aliam puritas vel impuritas promanet & deriuetur. Vt enim mente contaminata, contaminantur cogitatio, affectus, voluntas, studium: ita eadem purgata, & reliqua purgari incipiunt.

Quo autem commodius disciplina his partibus adhiberi possit, spectandum est, & quid has partes inquinare, & contrà quid easdem purgare possit. De principe igitur parte, quæ mens est, primum dicamus.

MENS, inquit Bernhardus, bona, preciosa possessio. Sed Paulus infidelium mentem & vanam & inquinatam pronunciat. Tito enim scribens ait: Quorum (infidelium) mens & conscientia inquinatæ sunt.

Ad Ephe-

Ad Ep
ait: G
sua, ex
vita De
est, pr
Paulus
sunt ce
se affir
manan
te imp
tur aut
intellig
locatur
hoc est
I N D E
colloc
prom
propo
siones
Apost
les, qua
na? ne
telt, v
hauri
& qua
ria, &
gari p
prom
Sa

Ad Ephesios longius progreditur, cum ita ait: Gentes ambulant in vanitate mentis suæ, excæcatæ in intelligentia, alienatæ à vita Dei, propter ignorantiam, quæ in ipsis est, propter duritiam cordis eorum. Hic Paulus apertè omnium hominum, qui non sunt conuersi ad Deum, mentem vanam esse affirmat. Quæ cum fons sit, vnde cætera manant, facile iudicare est, ex impuro fonte impuros manare riuulos. Complectitur autem mentis vox tria. PRIMVM, intelligentiam contemplantem, in qua collocatur σωτηρίας, ea scilicet quæ ποσάσεις, hoc est, propositiones suppeditat. DEINDE, intelligentiam practicam, in qua collocatur conscientia, quæ assumptiones promit. TERTIÒ, τὸ κριτήριο, quod ex propositionibus, & assumptionibus conclusiones extruit. Verum cum nunc, teste Apostolo, mens sit vana & inquinata, quales, quæso, conclusiones erunt? nonne vanæ? nonne inquinatæ? Certè fieri non potest, vt ex impuro fonte limpida & pura hauriatur aqua. Quare pastor hic videat, & quæ sit mentis illa inquinatio hæreditaria, & vnde puritas petenda, qua mens purgari possit, quo ex fonte purgato, puræ depromantur aquæ.

Sanctus Maximus libro tertio de chari-

B 3

tate,

tate, capitulo 34. quibus rebus mens hominis contaminetur, exponit his verbis: Mentis impuritas est in his quatuor sita. PRIMVM, si in ea sit falsa & erronea de vlla re persuasio. DEINDE, si ignoret id quod sciri oportuit. TVM, si cogitationibus affectib. obnoxijs langueat. POSTREMO, si peccato assentiatur.

Etsi autem hic autor generalius accipit mentis vocabulum, quam nos facimus: tamen pulchrè quæ sint inquinamenta eius ostendit, nempe ignorantia recti, & persuasio falsi: quæ vicia cum in omnibus hominibus sint, qui non sunt edocti verbo Dei, Paulus hortatur conuersos, ne conforment se huic mundo: sed transfigurentur in nouitatem mentis suæ, & probent quæ sit voluntas Dei bona, & placida & perfecta. Hic Paulus nouam mentem requirit, & cur id faciat ostendit, videlicet quòd nemo possit sine nouitate, id est, purgatione mentis probare quæ sit voluntas Dei bona, & placida, & perfecta. Huc proinde pius pastor contendat, vt impura sua mentè valere iussa, transfiguretur in nouitatem mentis.

Sed vnde fit hæc transfiguratio? seu quomodo ex impura mente pura fieri poterit?

Verbum Dei purissimus ille fons est,
qui

qui recte applicatus, sordes animi abstergit: hic mentem contemplantem illustrat: hic intelligentiam practicam reformat: hic τὸ κερτήριον gubernat. Lex Domini (inquit Dauid) immaculata, conuertens animam: Testimonium Domini est verax, sapientiam præstans paruulis: Mandata Domini sunt recta, lætificant cor: Præceptum Domini purum, illuminat oculos. Et Psal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen pedibus meis. Lectio proinde & meditatio doctrinæ cœlestis dum fide recipitur, purgat mentem, vt & rectè intelligere, & quæ rectè intelligimus accommodare ad vsum incipiamus.

Verum quia nostra lectio, & nostrum studium, nisi princeps ille pastor suo spiritu nobis legentibus aspiret, frustra suscipitur: sequi debet pius pastor Dauidis exemplum, qui oratione impetrauit, quod operatione obtinere non potuit. Ita enim Psal. 25. ait: Vias tuas Domine ostende mihi, & semitas tuas doce me, deduc me in veritate tua, & doce me, quoniam tu es Deus salutis meæ, te expecto tota die.

Vt ergo mens pastoris sit pura, tribus opus est: POENITENTIA, LECTIONE, & ORATIONE. POENITENTIA facit ne imputentur sordes reliquæ. LECTIO

B 4 mentis

mentis nubeculas dispellit. ORATIO impetrat digitum Dei, quo mens ad discendum formetur.

Hoc cum animaduerneret vetustas, pio consilio ordinavit in Ecclesia lectiones Prophetarum, & Psalmorum, & potissimum ea elegit, quæ & optimè docerent, & maximè homines ad precandum excitarent. Verum cum cœpit paulatim legendi & orandi studium refrigerare, accessit lex pontificia de necessitate & opinione cultus, & coacti sunt sacrificuli in Papatu certum numerum Psalmorum quotidie recitare, manè, meridie & vesperi. Qui huic pontificio decreto satisfecerunt, putarunt se isto opere aliquid à Deo mereri. Contrà qui hoc neglexerunt, existimarunt se mortaliter peccare. Atque hoc potissimum factum est, postquam humanis traditionibus obstructa est doctrinæ puritas.

Etsi autem rectè taxata est à pijs doctoribus ista conductitia Psalmorum decantatio, quæ partim ab impijs, partim à non intelligentibus fiebat: tamen vtile esset reuocare consuetudinem & disciplinam veteris Ecclesiæ. Habet enim multo maiorem fructum quàm vulgus cogitat. Nam non solum homini canendi consuetudine scriptura fit familiarior, & vsu ad intelligendum

dum f
rumet
& alia
tur, a
superf
tiores
Ba
navit,
uicem
sibus,
gratia
faciliu
recita
quia il
ri non
caner
dabit
N
bram
nibus
Hunc
quæ
prom
Nam
nera
langu
integ
rie at
quan

ORATIO im-
mens ad discen-

et vetustas, pio
clesia lectiones
im, & potissi-
ne docerent, &
andum excita-
ulatim legendi
ere, accessit lex
opinione cul-
i in Papatu cer-
quotidiè reci-
veri. Qui huic
runt, putarunt
mereri. Con-
existimarunt se
que hoc potissi-
i humanis tradi-
tina puritas.
est à pijs docto-
orum decanta-
partim à non
en utile esset re-
sciplinam vete-
nulto maiorem
at. Nam non
tuetudine scri-
ad intelligen-
dum

dum facilior, modò absit pius animus: ve-
rumetiam, fides, inuocatio, spes, dilectio
& aliæ virtutes excitantur & confirman-
tur, ac ita mentes eorum, qui se ita absq̃
superstitione exercent, redduntur purga-
tiores.

Basiliius Magnus in suis Ecclesijs ordi-
nauit, vt Psalmi canerentur ita, vt sibi in-
uicem responderent canentes alternis ver-
sibus, idq̃ non cultus causa, sed disciplina
gratia. Putauit enim sanctus vir isto pacto
facilius & Psalmos disci posse, & tædium
recitantium vicissitudine leuari. Verum
quia ista psallendi consuetudo vbiq̃ serua-
ri non potest, nolumus nostro pastori istam
canendi legem imponere, consilium tamen
dabimus quod vtile fore speramus.

Nostrium itaq̃ consilium hoc esto. Li-
brum psalmorum quam familiarissime om-
nibus pijs pastoribus notum esse cupio.
Hunc Basiliius ille magnus vocat *κοινὸν τα-
μιεῖον ἀγαθῶν διδασκάλων*, hoc est, commune
promptuarium bonorum documentorum.
Nam antiqua (vt inquit) animarum vul-
nera sanat: recentia citò corrigit: quod
languidum est & morbidum reficit: quod
integrum est conseruat: & affectus, qui va-
riè animabus in vita hominum molesti sunt,
quantum fieri potest, tollit, &c. Hæc cum

fit Psalmorum incomparabilis utilitas, velim in eorum lectione præcipuè occupatum esse pium pastorem, idq; hoc modo.

Quindecim Psalmi, qui graduum vocantur, sint familiarissimè noti, ac ita legantur à pastore, vt singulis septimanis semel finiantur. Psal. 25. cuius initium est: Ad te Domine animam meam leuavi: & 51. Miserere mei Deus: alternis vicibus subijciantur precatiõni matutinæ. Facto prandio quotidie recitetur Psalmus 147. qui incipit: Laudate Dominum, quoniam bonum est psallere Deo nostro. A cœna legatur Psal. 23. D O M I N U S pastor meus. Precatiõni vespertinæ Psal. 130. De profundis, subijciatur. Diebus festis Psalmus 119. Beati immaculati, feruiat.

Restant iam Psalmi 129. quos ordine velim recitari, ita vt semel in mense absoluantur.

Porrò etsi multæ & doctæ extant Psalmorum versiones: tamen meo pastori commendo versionem Georgij Maioris, quia hæc & plana est, & scholia habet in marginibus addita, quæ vice iustorum commentariorum esse possunt. Hoc nostrum consilium esto de lectione Psalmorum, sequatur qui volet.

Præterea pium pastorem assidua manu
versare

verfa
nos,
Titur
eiusd
ment
pato
leger
esset,
tamen
stame
maxi
In
pio G
proph
vt de
cum
stam
finia
H
tem p
vberr
um ce
H
rum
pro
dum
E
tam:

versare oportet Epistolas Pauli, ad Romanos, Galatas, Ephesios, Timotheum, & Titum. Item Euangelium Iohannis, cum eiusdem Epistola prima. Hæc noui Testamenti scripta optarem ordine legi à pio pastore, ita vt ad minimum vnum caput legeretur quotidie, donec ad finem ventum esset, vnde ad principium redeundum: non tamen hoc volo, vt cætera scripta noui Testamenti non legantur, sed cupio hæc quàm maximè familiaria esse.

In veteri Testamento præ alijs legi cupio Genesin, Prouerbia Salomonis, Isaïam prophetam & Danielem, idque eo modo, vt de præcipuis noui Testamenti libris dictum est. Reliqui libri veteris & noui Testamenti per ocium legantur, ita vt semel finiantur intra anni aut biennij spacium.

Hæc legendi disciplina non solum mentem purgatiorum reddit, verumetiam alios vberrimos fructus afferet ijs, qui hoc meum consilium non contemserint.

Haecenus de lectione sacrorum librorum dictum est: Iam de commentarijs scriptorum Ecclesiasticorum aliquid adijciendum videtur.

Etsi autem pastorem ante susceptum tam augustum officium instructum esse velim in

ORE.

ilis utilitas, ve-
cipue occupa-
hoc modo.

ni graduum vo-
noti, ac ita le-

is septimanis fe-
ius initium est:

am leuauit: & 51.
is vicibus subij-

æ. Facto pran-
nus 147. qui in-

, quoniam bo-
o. A cœna le-

s pastor meus.
l. 130. De pro-

us festis Psalmus
miat.

29. quos ordine
in mense absol-

æ extant Psal-
a meo pastori

orgij Maioris,
holia habet in

vice iustorum
ant. Hoc no-

stione Psalmo-
alsidua manu
versare

lim in doctrinæ corpore : tamen iudico pastori semper esse utile , vt integrum doctrinæ corpus subinde ordine euoluat . Nam illud satis disci nunquam potest . Diligenter enim (vt recte monet Cicero) cauendum est , ne incognita pro cognitis habeamus , ijsq; temerè assentiamus , sed adhibeamus ad considerandas res , & tempus & diligentiam . Si hoc Cicero in rebus humanis , quæ rationi subiectæ sunt , necessarium iudicauit , profectò hoc multo magis requiritur in doctrina Ecclesiæ , cuius fides rationis fines , humanæ naturæ vsum , experientia terminos , vt testatur Bernhardus , transgreditur .

Proponat itaq; sibi pastor integrum doctrinæ corpus , illudq; sæpius euoluat : hac adhibita amussi , vt nihil recipiat , quod non quadrat ad Canonicam scripturam : nihil absurdum iudicet , quod claro Dei verbo traditum est : tribuat Deo cum Abrahamo laudem veritatis , etiamsi tota rerum natura id quod legit in Prophetis & Apostolicis scriptis , improbare videatur .

Verum etiamsi multa multorum scripta extant , quæ integrum doctrinæ corpus continent : tamen meo pastori inprimis commendatum volo Corpus doctrinæ , à sanctissimo viro , Philippo Melanthane scriptum .

ptum
ambi
certa
& Ap
comm
quos
dæ pi
fortè
& Gr
tus fu
struo,
scripte
se fatig
Nih
rum de
& ma
potif
confir
clesiar
simplic
lium , c
Nam e
agit , t
veniur
Dedi se
Ha
quæ fe
Quæ
trahar

ptum. In eo enim nihil est obscuri, nihil ambigui, nihil falsi : sed omnia clara & certa, extracta ex ipsis scriptis Prophetis & Apostolicis. Huc adijciat pastor alios commentarios ab eodem viro scriptos, quos legat studiose. Nam in illis plus solidæ pietatis & eruditionis inueniet, quam fortè in multorum veterum, Latinorum & Græcorum scriptis. His ergo si contentus fuerit simplex pastor, qualem ego instruo, plus proficiet, quam si plurimorum scriptorum veterum & recentium lectione se fatigaret.

Nihil tamen hic detractum volo, aliorum doctissimorum virorum scriptis, quæ & magnifacio, & legenda iudico, sed ab ijs potissimum, quorum & iudicium magis confirmatum est, & quibus tempus ob Ecclesiarum curam suppetit. Ego enim nunc simplicioribus & occupatioribus do consilium, quod iudico ijs maximè profuturum. Nam ea quæ aliquis sæpius & familiarius agit, sunt veluti domestica, & difficiliter veniunt in obliuionem, iuxta illud Senecæ : *Dediscit animus serò, quod didicit diu.*

Hæc sunt dicta de purgatione mentis, quæ fons est aliorum motuum & actionum. Quæ (vt rem vniuersam in summam contraham) naturæ prauitate inquinata, & vana

vana effecta, renouanda est iuxta Pauli consilium, & abluenda sanguine Christi, atque ita perpetua pœnitentia, assidua lectione, & ardenti precatione instauranda: vt quotidie magis magisque purgetur, donec in hac vita sumus. Quamdiu enim hoc mortale corpus circumferimus, nunquam ita purgabitur mens nostra, quin aliquid semper purgandum restet. Quare rogandus est purgator noster Christus, ne maculas præsentes nobis imputet, sed vt quotidie suo Spiritu, & verbo magis nos purget.

COGITATIONVM principia tria facit Damascenus, cum ita ait: Illud sanè præ omnibus nosse debemus, tria cogitationum nostrarum esse principia. Sunt enim aliæ cogitationes à Deo, aliæ à Diabolo, aliæ ex nobis ipsis.

A Deo quidem sunt cogitationes salutare, quibus homines excitat Deus, ad ea, quæ pia & salutaria sunt, agenda, iuxta mandata expressa.

A Diabolo sunt perniciosæ cogitationes, quæ sunt via ad interitum. Cogitatio Iudæ de prodendo Domino, fuit à Diabolo. Nam ita clarè scribitur: Et cœna facta cum iam Diabolus misisset in cor Iudæ Simonis Iscarioth, vt traderet Dominum. Et iterum: Post buccellam introiuit in illum

Sata-

Sata
Anar
cor te
Ex
cume
dizim
Pr
le & f
um. N
tation
tus far
mandu
cum da
cata, se
afferun
peruer
bus n
vitant
ira ce
qui imp
go qui
nera, f
morum
iora la
standu
Po
nostro
num da
gitatio

Satanas. Hoc & Petrus testatur loquens Ananiæ: Quare (inquit) tentauit Satanas cor tuum, vt mentireris Spiritui sancto.

Ex nobis autem oriuntur cogitationes, cum ea quæ gerimus, aut gessimus, aut audiuius, recordamur.

Primum ergo genus cogitationum, vtile & salutare est, medium & vltimum noxium. Nam sicut fumus apes, sic prauæ cogitationes, si illis locus datur, fugant Spiritus sancti gratiam. Neq; enim leue existimandum est, perniciosis cogitationibus locum dare. Videntur quidem leuiora peccata, sed si non vitantur, certum interitum afferunt. Nam semper maiora peccata superueniunt nobis, & vim inferunt animabus nostris, cum quæ minora videntur, non vitantur. Sæpè homicidium commisit, qui iræ cessit: Sæpe adulterium perpetravit, qui impuræ cogitationi locum fecit. Vt ergo qui minima contemnunt corporum vulnera, sæpe mortem incurrunt: Ita qui animorum exiguas plagas despiciunt, in maiora labuntur crimina. Principijs ergo obstandum est.

Porro vt præsentius remedium pastori nostro contra insultus malarum cogitationum dare valeamus, causas huiusmodi cogitationum, & modos altius examinemus.

Bern-

Bernhardus tres facit formas cogitationum, quæ ex nobis sunt. **QVAEDAM**, inquit, sunt omnino ociosæ, videlicet, quæ ad rem non pertinent. Has tam facilè abijcere, quàm recipere potest animus. Atq; hoc genus cogitationum ociosarum, luto confert, sed simplici, hoc est, nec inhærenti, nec fœtenti, modò moram non fecerit. **ALIAE**, inquit, sunt violentæ, magis & fortius adhærentes: vt quæ ad necessitatem naturæ pertinent. Hoc genus confert Bernhardus luto non simplici, sed limoso & viscoso, non tamen fœtenti, si modum naturæ non excefferit. **QVAEDAM**, inquit cogitationes sunt immundæ ac fœtidæ. Hoc tertium genus confert luto adhærenti immundissimo ac fœtidissimo, quod genus nulla ratione admittendū esse monet. Nam animam coinquinat, & ad interitum ducit.

Harum perniciosarum cogitationum, quarum peccatum hæreditarium fons est, causas (quo remedium arte adhibeatur) particulares enumerabo varias. Aliàs enim Diabolus huiusmodi cogitationes suggerit (vt paulò ante attigimus.) Aliàs oriuntur à sensu: Aliàs à memoria: Aliàs à complexione ortum habent. Hæ quatuor causæ sunt perniciosarum cogitationum.

Verum quia vicia aliter curari non possunt,

fant
tur,
I
præ
mini
diatu
fas,
C
obije
ment
modi
P
tia &
tur in
calos
fuge
I
clefia
num
A
huius
dens
Sa
de r
prem
quod
mort
Pote
quid

sunt, nisi radices & causæ eorum extirpentur, de singulis generibus dicam.

Diabolus hostis humani generis, qui præcipue aduersatur pastoribus gregis dominici, aliàs doctrinæ, aliàs moribus insidiatur, ac suggerit cogitationes perniciosas, nunc in doctrina, nunc in moribus.

Quando itaq; doctrinæ insidiatur, & obijcit cogitationes pugnantes cum fundamento, triplex est modus superandi huiusmodi cogitationes.

PRIMUM opponatur verbum, potentia & veritas Dei. Quicquid enim suboritur in cogitationibus nostris contra articulos fidei, verbo Dei obruendum est, & superandum.

DEINDE opponatur Catholicæ Ecclesiæ consensus, hoc est, sanctorum hominum suffragia, & exempla.

AD HÆC in toto conflictu aduersus huiusmodi cogitationes, opponatur ardens & serua inuocatio.

Sæpe turbat animos piorum, cogitatio de resurrectione mortuorum: sed hanc premet & superabit clarum Dei verbum, quod certum decretum Dei de excitandis mortuis proponit, cui nihil impossibile est. Potest enim quicquid vult: vult autem quicquid certò decreuit se facturum. Hoc ver-

C

bum

bum fortius premet istam cogitationem, ubi accesserit consensus omnium piorum, qui inde usque à mundi exordio, præcipuam suam consolationem collocarunt in fide resurrectionis. Huic consensui ancillatur inuocatio, ne Satanas vlla sophistica nos à fide resurrectionis abstrahat. His igitur armis vtatur pastor, aduersus cogitationes quæ Satanam immediatè autorem habent.

COGITATIONES ortæ à sensu, sunt quæ ab obiectis, quæ in sensus incurrunt, animis imprimuntur: seu quæ generantur quoties res nobis offeruntur, quibus animi nostri ad cogitandum excitantur: vt cum Dauid vidit nudam fœminam, lauante se, commouetur animus, & quomodo eius amore potiatur, cogitat. Huc illud Augustini pertinet, qui in quodam loco dicit, mortem per quinque sensus, tanquam per fenestras, ad animam nostram ingredi. Quod quàm verum sit, docet experientia (proh dolor) in multis. De his ergo quinque fenestris ordine dicam, & simul ostendam ex scripturis, quomodo pius pastor eas occludere debeat, & adhibere solertem custodiam, ne hostis per ipsas ingrediatur.

PRIMA fenestra est visus. Hic præ
ceteris

cæteris singularem habet vim. Vnde Christus apud Matthæum: Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebrosus erit. Syracides: Nequius oculo quid creatum? memento quoniam malus est oculus nequam. Tritum quoque est prouerbum, animum habitare in oculis. Huc illud Augustini: Impudicus oculus, animi impudici est prænuncius. Heu vidit pomum esse pulchrum aspectu, mox cogitat de eo fruendo, & per oculos concupiscentia in animum prorepsit. David visis nudis Bersabeæ pedibus, mox de ea comprimenda cogitat. Samson visu ad amandam alienigenam est illectus. Augustinus exemplo Terentiani Chereæ usus est, qui incitatus picture stupri Iouis, virgini vicium intulit.

Quomodo, quæso, hæc fenestra occludenda? Occludetur ista fenestra, ne mors per eam ingrediatur, varijs modis.

PRIMUM, cogitatione prohibitionis. Qui enim verè de pietate cogitat, diuinis prohibitionibus tangitur imprimis. Prouerb. 23. Ne intuearis vinum quando flauescit, & cum splenderit in vitreo calice color eius. Syrach 9. Auerte oculos tuos à scemina compta. Et Psalm. 118. Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem. Ambrosius: Cum videris aliena monilia, au-

C 2 rum,

rum, argentum, & concupieris vt extorqueas, intrauit mors per fenestram : claude ergo hanc fenestram .

D E I N D E, claudetur hæc fenestra exemplis sanctorum. Pepigi, inquit Iob, fœdus cum oculis meis, ne alienam mulierem concupiscerent. Moses, Ioseph, Daniel, & multi alij, hanc fenestram amore castitatis clauferunt. Vt igitur pastor meus habeat ipse castam coniugem cupio, ne alienarum visu periclitetur.

A D H A E C, cogitatione periculi obstruetur hæc fenestra. Qui enim quid mala concupiscentia gignat attendit, maiori cura aduigilabit, ne incautus capiatur.

P O S T R E M O, omniū maximè hîc requiritur, vt fugiamus occasiones : & si quando grauius pulsauerint obiecta mentem & cogitationem, confugiendum est ad Deum seria precatone, is non sinet nos tentari supra vires nostras.

S E C V N D A fenestra, est auditus. Per hunc enim blanditiæ, adulationes, prophana & turpes cantilenæ ingressæ, cogitationes excitant, & venena in cor transmittunt. Hinc propheta : Tibia & tympanum in conuiujs vestris, & opus Domini non respicitis. Ambrosius : Intrat etiam mors per fenestras aurium, si acquiescas loquenti.

Occlu-

Occlu
ri, adeo
ruant.
uitauer
racides
linguar
T E I
Q v
Q v
Ab
nisi forte
tur de e
Co
sunt que
vel gels
mus. I
dam e
quæ po
fecerit,
paulispe
frustra v
coneris
moria
mentis
Co
ne hom
tionibu
Phlegm
guineu

Occludenda est ergo & hæc fenestra pastoris, adeoq; omnibus pijs, ne inde in exitium ruant. Salomon Prouerb. 1. ait: Fili si inuitauerint te peccatores, ne audias. Syracides: Sepi aures tuas spinis, ne audias linguam nequam.

TERTIA fenestra, est Odoratus.

QUARTA, Gustus.

QUINTA, Tactus.

Ab his minus periculi est pastori meo, nisi fortè à gustu, de quo dicam, ubi agitur de eius externa conuersatione & ciuili.

COGITATIONES ortæ à memoria, sunt quando ea reuocamus, quæ aliquando vel gessimus ipsi, vel audiuius, vel uidiimus. Harum rerum memoria, primum nudam cogitationem ad mentem pertrahit: quæ postquam aliquandiu moram in animo fecerit, excitatur affectus: huic si induleris paulisper, voluntatem secum rapit, ut iam frustra voluntatem imperantem retrahere coneris. Quare ubi talis cogitatio ex memoria rerum nascitur, mox ad aliud aciem mentis conuerte, ne figat pedem.

COGITATIONES ortæ à complexione hominis, sunt variæ. Alijs enim cogitationibus, obnoxius est Melancholicus, alijs Phlegmaticus, alijs Cholericus, alijs Sanguineus. Hic ut pastor senserit suum morbum,

bum, occurrat maturè, ne malum nimium serpat. Qui scit se Cholericum esse, ideoq; magis iracundum, refrenet naturam, cuius morbum nouit, & sic de alijs.

Dixi de cogitationibus malis, & ostendi aduersus eas remedia, & summa huc redit, vt illis occurramus legendo, canendo, orando, laborando, ocium omne fugiendo. Verum cum non habeamus nisi malas cogitationes. Nam, vt Paulus inquit, 2. Cor. 3. non sumus idonei ad cogitandum quicquam tanquam à nobis: debet pastor totis viribus, puluerem malarum cogitationum, præcipuè oratione, excutere, & Deum serio orare, vt ipse nobis pias & salutare cogitationes, suggerat. Is enim solus creat cor mundum.

Iam ad Affectus veniamus, de quorum proximis causis hætenus est dictum. Quæ quia de natura humana non possunt ita euelli, quin quædam vestigia relinquant: fit vt sæpè suboriantur etiam in sanctis prauus affectus, atq; omnino accidit sicuti quidam ex sanctis patribus ait: Quemadmodum passerulus, pede alligatus, volare incipiens, in terram funiculo detrahitur: sic quoque mens hominis nondum affectib. liberata, & ad rerum cœlestiū meditationem volare contendens, ab affectib. ducitur, & in terram detrahitur.

Affe-

Affectuum suborientium disciplinam tradituri, initium sumamus à diuisione affectuum. Sunt itaque affectuum quidam CORPORALES, qui ab ipso corpore suas habent occasiones: quidam ANIMALES, qui è rebus externis proueniunt. Primum de priori dicamus genere.

CORPORALIVM AFFECTVVM mater est *φιλαυτία*, quam definiunt esse immoderatum & cœcum corporis amorem, & verè eam affirmant omnium malorum matrem, cuius primæ quidem proles sunt: crapula, auaritia, & vana gloria: quæ occasiones ferè ex necessitatibus corporis sumunt. Ex his deinde nascitur omnium malorum ac vitiorum catalogus. *φιλαυτία* enim, primum corporis curandi, & gubernandi prætextu, facit, vt homo sensim in voluptatis, & intemperantiæ foueã prolabatur. Hanc pestem (*φιλαυτίαν* dico) oportet pastorem in primis quantum fieri potest, contundere, ne propter nimium corporis amorem coniiciatur anima in gehennam. Castigo, inquit Paulus, corpus meum & in seruitutem redigo, ne quo modo cum alijs prædicauerim, ipse sim reprobus.

Vides mi pastor, quantum periculi cum philautia coniunctum sit. Quare grauiter contra illã depugnandũ est, sobrietate, ani-

mo præfenti contento, & vera humilitate.

PRIMA huius filia, quæ est γαστριμαργία, gulofitas feu crapula, corpori quidem grata est, fed grauat corda. Vnde Chriftus: Cauete ne grauentur corda ueftra crapula, & ebrietate. Et Sapiens: Vinum & ebrietas auferunt cor.

SECUNDA filia auaritia est, non minus perniciofa fuis amatoribus, quàm prima illa. Hanc Paulus vocat idololatriam, quia facit vt homo loco Dei fuis diuitijs confidat. Quare pij pastoris est cauere, ne huius deterrimæ peftis veneno inficiatur, ac ita falute miserè excidat.

Sed quodnam afferet pastor contra iftam peftem remedium? Videamus finem, quo impellitur quis ad auarè cumulandas diuitias. Hic autem triplex est. PRIMVS, amor voluptatis, quæ græcè φιλονομία dicitur. SECUNDVS, est κενοδοξία, gloriæ inanis affectatio. TERTIVS, propulfatio inopiæ, quam forte metuit.

Voluptati deditus amat diuitias, vt earum adminiculo indulgeat delicijs.

Ambitiofus, & inanis gloriæ cupidus, aurum expetit, vt eius præfidio clarus, & magnus, & honorandus habeatur.

Homo metuens futuram inopiam, cumulat per fas & nefas, vt eas conditas & celatas

celata
tem,
fcens,
quàm
qui ve
anima
Fin
rus an
pratem
nem.
& e m
haud e
proind
Qui
luptati
paltor
gnita
lutus
uentis
nullam
pratem
eanden
fed co
quæfo
lam il
fmate
ilto fe
paltor
itia, i

humilitate.
 ἡ γαργυρία,
 quidem gra-
 de Christus:
 extra crapula,
 inum & ebrie.

est, non mi-
 us, quàm pri-
 idololatriam,
 ei suis diuitijs
 s est cauere, ne
 eno inficiatur,

tor contra istam
 amus finem, quo
 cumlandas diui-
 ft. PRIMVS,
 xce quondam dici-
 xiv dicitur, glori-
 r i v s, propulle-
 tuit.

diuitias, vt ea-
 delicijs.
 gloriæ cupidus,
 fido clarus, &
 beatur.

inopiam, cu-
 eas conditas &
 celatas

celatas conseruet, aut famem, aut senectutem, aut morbum, aut exilium pertimescens, atq; in ijs plus spei habet repositum, quàm in Deo omnium rerum conditore, qui vel extremorum & minutissimorum animalium curam habet.

Fines habemus, quos sibi proponit avarus animus in cumulandis diuitijs, voluptatem, ambitionem, inopiæ propulsationem. Hos si pastor contemnere potuerit, & è mente sua euellere, ipsam auaritiam haud difficulter contemnet. Videamus proindè ordine remedia aduersus ista mala.

Quid ergo remedij habes aduersus voluptatis plagam? Primum conferat pius pastor turpitudinem huius pestis, cum dignitate hominis, qui Christi sanguine ablutus & redemptus, iam templum Dei uiuentis est. Gentiles Philosophi dixerunt, nullam capitaliorem pestem, quam voluptatem, datam esse mortalibus. Quare & eandem affirmant indignam esse homine, sed concedendam esse bestijs. Quid iam, quæso, indignius est, quàm maculare stolam illam sanctam, quam induisti in baptisate? quid foedius, quàm Dei templum isto foetore Satanæ conspurcare? In pio pastore fides, charitas, patientia, modestia, iusticia, & cæteræ virtutes esse debent.

C 5

Quid,

Quid, obsecro, in hoc virginum honestissimo cœtu, faceret turpissima & fœdissima meretrix voluptas? Verè dicit Plato, voluptatem escam malorum esse. Sed multò verius is, qui affirmat præsentem vitam hamum esse Diaboli, opertum abominabili voluptate, tanquam esca, per quam seducti ad profundum trahuntur inferni.

Vide mi frater, qualis in se sit voluptas: vide quid cum ea coniunctum sit: vide eius finem: vide pœnam. Ipsa turpis est, coniunctam habet infamiam, famem sui habet, & transacta non satiat, finis eius est mala conscientia, pœna, infernus. Hæc mi pastor si perpendas, facilè hanc deterrimam pestem detestaberis, modò ores, ieiunes, legas casta, ac ocia vites, iuxta illud nostrum distichon:

Ores, casta legas, ieiunes, ocia vites,

Si servare voles corpora casta Deo.

Dixi de primo fine, cur avarus animus diuitias cumulet, & quomodo is contemni possit.

Sequitur secundus, qui est *νεεδοξία*, hoc est, gloriæ inanis appetitio. Hæc, quia ex diametro pugnat cum Christianismo, deberet meritò ab omnibus pijs contemni, non secus atq; cœnum fœtens, imò veluti virus Diaboli perniciosissimum. Non enim
potest

potest cum siti inanis gloriæ, stare Christiana humilitas.

Hanc inanem gloriam Bernhardus basilisco comparat. Ita enim ait: De basilisco quid dicemus? monstrosius cæteris, solo visu hominem inficere & interficere perhibetur. Ni fallor vana gloria est. Videte ne (inquit) iusticiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab ijs. Ac si dicat: Cauete oculos basilisci. Sed cui nocere dicitur basiliscus? Ei qui non viderit basiliscum: alioqui si prior eum videas, iam non tibi nocet (vt aiunt) magis moritur ipse. Ita est fratres, non videntes necat inanis gloria, cæcos, & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potius ipsi inspiciunt, non attendunt, non discutunt illam, non vident deniq; quàm sit friuola, quàm sit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur basiliscus. Nec iam occidit eum gloria, sed occiditur magis & occidit ei, quodammodo versa in puluerem, imò reducta in nihilum. Hæc scitè & eleganter à Bernhardo sunt dicta, quibus satis graphicè turpitudine inanis gloriæ describitur. Huc addamus & vocem prophetarū. Ieremias ait: Arrogantia tua decepit te, & superbia cordis tui. Cum venit (inquit Salomon) super-

superbia, venit & ignominia. Et Petrus : Deus superbis resistit. Dominus in Evangelio : Qui se exaltat, humiliabitur.

Hæc & huiusmodi alia oracula Dei, pastorem refrenare debent, ne sinat se, inanis gloriæ stimulis incitari. Quæ si viderit parum proficere, consideret suas sordes, consideret pœnam imminentem, proponat sibi exempla sanctorum patrum, qui istam beluam confecerunt : cogitet eam esse nunciam Satanæ, & prænunciam mortis. Ad extremum confugiat ad seriam inuocationem, & meminerit illius dicti, qui se exaltat, humiliabitur.

Tertius finis, cur avarus animus sibi diuitias cumulandas censet, est propulsatio futuræ inopiæ, quæ à diffidentia oritur. Hac ergo impulsus homo, sibi in futurum prospicere cogitat. O quàm iniquum est tantam corporis habere curam, abiecta omni salutis sollicitudine. Diffidentiam damnat Christus, & tu qui vice Christi fungaris, diffidentia tua excitaris, ad quærendas opes per fas & nefas. An non apertè contemptis mandatum Christi? an non manifestè promissionem ipsius conculcas pedibus? mandatum est : nolite solliciti esse, quid edatis, & quo vestiamini. Mandatum est : quærite primum regnum Dei, & iusticiam

ciam
ter o
mult
veste
bus.
cient
minit
solici
fident
non v
ptum
eius.
opes e
suz pr
quo qu
ricula
det. l
tas, c
inclusi
verò ol
am fit l
genere
minim
cum ip
mento
seruar
eam se
exting
igitur

ciam eius, hoc est, Dei. Promissio est: Pater cœlestis alit volucres cœli, nonne vos multo præstatis eis? Item: Nouit Pater vester cœlestis quòd indigeatis his omnibus. Promissio est: & cætera omnia adiicientur vobis. Sequatur ergo pius verbi minister mandatum pastoris sui: Ne sitis solliciti de crastino. Abijciat Ethnicam diffidentiam, ac certò statuatur, quòd Christus non velit se deserere, præsertim cum scriptum sit, Non in abundantia hominis vita eius. Auarus enim plærunq; inter medias opes esurit. Solent homines auari, vitæ suæ præsidia in opibus collocare, adeò vt quo quisq; ditior est, eo minus omnia pericula, atq; adeò ipsam mortem reformidet. Huc illa diuitum arrogantia & supinitas, quasi Deum ipsum in cistis & horreis inclusum, habeant in potestate. Contrà verò ostendit Dominus Lucæ 12. vt quispiam sit locupletissimus, adeò vt omni opum genere redundet: tamen quod viuit, hoc minimè debere acceptum opibus suis, cum ipsius vitam, ne temporis quidem momento, possint vllæ bonorum copiæ conseruare. Vnus enim Deus qui vitam dedit, eam scilicet quamdiu libuit, & fouere & extinguere, pro suo iure potest. Quorsum igitur quispiam à diuitijs pendeat, vt ij solent,

solent, qui ijs accumulandis tantopere sunt solliciti. Memineris ergo ô pastor, huius summi pastoris præcepti: Videte & cauete ab auaritia. Abijce itaque diffidentiam, Christum veracem esse statue.

Atq; hi sunt fines, cur homines studeant cumulandis diuitijs, voluptas, inanis gloria, & propulsatio imminentis inopiæ. Hos qui extremè contemserit, facilè animum suum ab auaritiæ fordibus purgabit.

Sed quâ fit, quod hæc tria, quæ scriptura abijcienda esse monet, adeò tamen hominum animos moueant, vt quàm paucissimi inueniantur, qui istis non capiantur? Caro nostra illa amat, ijsq; mens excæcatur eò magis, quò caro minus imperio spiritus subijciatur. Excitetur proinde spiritus, vt magis magisque auctus viribus, carnis ferociam domare, & suo imperio subijcere possit.

Hæc sint breuiter dicta, de affectibus corporalibus, de philautia, eiusq; filiabus, à quibus omnia oriuntur mala & vicia: & de remedio aduersus venenum, quo homines incautos ista pestis inficere soleat.

Sequuntur AFFECTVS ANIMALES, Ira & Concupiscentia, de quibus nonnulla breuiter adijciemus.

IRA quid sit notum est, eius genera
tria

tria n
quævis. I
comm
cundia
freque
tione,
increm
tatur,
datur in
mi pert
vindica
quærens
vris die
nec occ
genus,
enim i
malum
opto.
sanctis c
enim cur
Quare ve
cti Pyth
turbato
indulge
4. Sol i
fram. I
dos depe
non pote
irascamu

tria numerantur. Bilis, *χόλος*. Iracundia, *μῆνις*. Et Infensio, *κότος*. Bilis citò & facilè commouetur, sed & leuiter sedatur. Iracundia, diuturnior animi commotio, ex frequenti mali illati, iniuriæq; recordatione, continuum sumit pabulum, & maius incrementum: & hæc magis animo occultatur, abditaq; latet, quàm exteriori prodatur indicio. Infensio, est exulcerati animi perturbatio grauior, opportunitatem vindicandi illatam iniuriam, de industria quærens, & nancisci studens. Atq; ideo *κότος* dicitur, quia *κείται*, hoc est, iacet, donec occasionem fuerit nacta. PRIMVM genus, sæpe necessarium est pastori: debet enim irasci vicijs. SECUNDVM genus, malum est, à quo alienum meum pastorem opto. TERTIVM, est pessimum, quod in sanctis diuturnum esse non potest. Pugnat enim cum lenitate, & patientia Christiana. Quare velim pium pastorem meminisse dicti Pythagorici: Ollæ vestigium cinere turbato. Quo symbolo significat iræ non indulgendum esse. Et huius Pauli, Ephes. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram. Hic Paulus vult, ne nos nox iracundos deprehendat. Quoniam autem fieri non potest, quin in hac infirmitate sæpè irascamur, sequatur pastor consilium Dauidis

uidis & Pauli : Irascimini , & nolite peccare : hoc est, si contigerit irasci, iram ita cohibete , vt ad facta non profiliat , aut moram aliquam in vestris animis faciat. Verum vt hoc malum studiosius cauere possit, pastor iniuria læsus, hæc meditetur. PRIMVM, cogitet, quoties ipse Deum offenderit, & tamen veniam expetierit. SECUNDO, meminerit, quòd vbi non sit remissio iræ & offensæ, illic nec venia peccati apud Deum : iuxta parabolam de debitore, Matthæi 18. TERTIÒ, recolat se etiam hominem esse, & posse alios offendere, ideoq; oportere se æquiorē esse in alios. QUARTO, perpendat, quòd iratus sibi ipsi maximè noceat, turbando animum. QUINTO, æstimet malum, quod inde sequi potest. Vir iracundus, inquit Salomon, rixas prouocat : qui verò patiens est, mitigat suscitatas. SEXTO, sciat quòd magna sit virtus, iram reprimere. Vnde Ambrosius : Præclarum est, motum temperare consilio, nec minoris virtutis dicitur, cohibere iracundiam, indignationemq; compescere, quàm omnino non irasci, cum plerunq; hoc leuius, illud fortius æstimetur. SEPTIMO, de damno, quod sequitur iram, cogitet. Per iram, inquit Gregorius, sapientia perditur, vt quid quoue ordine agendum fit, ne-

fit, ne
sancti
lem &
cum ir
habita
Hæ
sunt, v
tia gen
zelus pi
ex virtu
los men
tudini i
stus, &
irasci le
vicium
nosmet
genter
ex amo
Affe
dicitur,
ralis.
Co
plex est
aut cir
vacuus
fatur.
quaten
regunt
corrum

fit, nesciatur. Idem: Per iram, Spiritus sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur. Quia cum ira subtrahit quietem, Spiritui sancto habitationem claudit.

Hæc quæ hæctenus de ira à me dicta sunt, volo intelligi de ira, quam impatientia generat, non de illa laudabili ira, quam zelus pius excitat. Illa enim ex vicio: hæc ex virtute generatur. Ira per viciium, oculos mentis excæcat: Ira per zelum, turpitudini irascitur, vt Phinees, Paulus, Christus, & sancti multi sæpe zelo Dei sancto irasci leguntur. Verum cauendum est, ne viciium virtutis larua pingamus, fallentes nosmetipsos. Videat ergo pastor, & diligenter examinet cor suū, an ira, qua æstuat, ex amore Dei fit, an ex vicio impatientiæ.

Affectus animalis, qui Concupiscentia dicitur, est duplex: Naturalis, & non naturalis.

CONCUPISCENTIA naturalis triplex est. Aut enim circa cibum & potum, aut circa ἀλυπίαν, vt quis dolore omni sit vacuus, aut circa amorem Venereum versatur. Hi affectus naturales quidem sunt, quatenus φόβω, νόμω, κὶ ὅρθω λόγω, vt Plato ait, reguntur & frenantur. Nam aliàs naturam corrumpunt, & Deum grauiter offendunt.

D N O N

& nolite pecca
ci, iram ita co
siliat, aut mo
nis faciat. Ve
as caueri possit
editetur. Pra
Deum offende
ierit. SECV
non fit remissio
enia peccati apu
de debitore, Ma
colat se etiam h
offendere, ideo
in alios. QVA
atus sibi ipsi maxi
mum. QVINT
d inde sequi pot
Salomon, rixas
ns est, mitigat
quod magna sit
Vnde Ambrosi
temperare consil
itur, cohibere in
emq; compescen
cum plerunq; h
metur. SEPT
uitur iram, cog
egorius, sapient
ordine agendum
fit, n

NON NATURALIS Concupiscentia, est rei alienæ appetitio, quæ peculiari lege Dei prohibetur: Nec concupisces domum proximi tui, nec desiderabis vxorem eius, nec seruum, nec ancillam, nec bouem, nec asinum, nec omnia quæ illius sunt. Syracides: Ne zeles gloriam & opes peccatoris. Non enim scis quæ futura sit illi subuersio. Hoc duplici freno volo pastoris mei concupiscentiam reprimi.

Est & alia diuisio Concupiscentiæ apud Paulum Gala. 5. vbi ait: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. CARNIS vocabulo, per metonymiam intelligit corruptionem, & viciositatem humanæ naturæ, & impetus inde pululantes, qualis omnium est qui nondum sunt regenerati. SPIRITVS significat regenerationis gratiam, quam Spiritus Dei operatur in renatis, & impetus excitatos à Spiritu sancto in credentibus.

Breuiter, Concupiscentia carnis, est concupiscentia veteris hominis. Concupiscentia spiritus, est concupiscentia noui hominis, hoc est, regenerati, quatenus regeneratus est.

Concupiscentiam veteris hominis, definit Paulus Ephe. 2. esse per quam inclinatur homo, ad faciendum ea, quæ libent

carni

carni
ingen
In
partes
caro,
ἀσάρω
γινώσκει
vocab
Co
esse, c
rem h
fit, vt
ant. l
carnis
lat. 5.
Be
bit ex
l. Co
Dei. q
viva q
rum a
tan fu
rem c
pitam
flam
impo
Ita d
tim d

carni & menti : hoc est , ad viuendum ad ingenij mentisq; arbitrium.

In hac definitione Pauli, duæ ponuntur partes veteris hominis, σὰρξ & διάνοια. σὰρξ, caro, ea est animi pars, quam Philosophi ἄλογον vocant. διάνοια, mens, quam illi τὸ λογικὸν appellant. Sed frequentissimè carnis vocabulo, totus vetus homo significatur.

Concupiscentiam noui hominis, definitio esse, qua renati moliuntur deponere veterem hominem, & induere nouum, ex quo fit, vt iusticiæ & sanctimonix verè studeant. Effecta vtriusq; hoc est, & spiritus & carnis, recitat Apostolus, Ephes. 4. & Galat. 5.

Bonus itaq; pastor spiritum pijs excitabit exercitijs, iuxta illud Pauli, 2. Timoth. 1. Commonefacio te, vt exuscites donum Dei, quod in te est. Est autem donum Dei, viua quædam flamma, in cordibus renatorum accensa, quam nituntur caro & Satan suffocare. Paulus igitur suum pastorem commonefacit, vt illam flammam sopitam magis foueat & exuscitet. Nam vt flamma facilè extinguitur, nisi flabello, impositis subinde nouis lignis, excitatur: Ita dona Dei & spiritus in renatis paulatim dispereunt, nisi assiduè exuscitantur.

D 2

Sed di-

Sed dicas. Quomodo excitentur illa dona? Homo renatus, donatus est Spiritu sancto, qui non est in homine ocium, sed flamma & agitatio diuina, repugnans Diabolo & carni, & accendens motus tales qualis ipse Spiritus sanctus est.

Huiusmodi motus Spiritus, PRIMVM omnium cogitatione doctrinæ mouentur. DEINDE, in inuocatione per Spiritum excitantur. POSTEA, augentur exercitijs pœnitentiæ, consideratione nostræ infirmitatis, repugnando subitis incendijs affectuum, sustinendo certamina & pericula in officio & confessione. In huiusmodi exercitijs excitatur spiritus, crescunt dona, & apparet imperium spiritus aduersus carnem. Quare hortor pastorem meum, vt diligenter insidias Satanæ & carnis caueat, ne extincta flamma Spiritus, rursus Satanæ & carnis laqueis implicetur.

Quidam ex patrib. dehortaturus Christianos à carnali concupiscentia, hanc pulcherrimam prosopopœiam facit. Quilibet Christianus in se habet paradysum, Adam, voluptatem paradisi, & serpentem. Paradysus, est verbum Dei, quo veluti fragrantia dulcissima, afficitur pia anima. Adam, est vetus homo & rea natura, quæ Satanæ fraudibus exposita & obnoxia est.

Volu-

Volu
sancti
ma-fa
cui qu
culpa-
dix m
centia
fi aliq
ad arb
te app
Ha
tum qu
detur-
T A T I
mentis
bus &
E
turali
declin
tem na
quo ad
quanti
est vo
Malar
bonas
cogita
tatur
ritus.
essene

Voluptas paradisi, est participatio Spiritus sancti, qua mirum in modum afficitur anima-sancta. Serpens, est carnalis voluptas, cui qui obedierit mortem sibi sua accerfit culpa. Igitur non secus cauendæ sunt insidiæ mundanarum & carnalium concupiscentiarum, quàm ipsius serpentis: quibus si aliquando captus fueris, maturè accurre ad arborem vitæ, Iesum Christum, ne mors te apprehendat.

Hactenus sit dictum de affectibus, quantum quidem nostro instituto deseruire videtur. Sequitur DISCIPLINA VOLUNTATIS, de qua ideo breuius dicam, quia mentis, cogitationum, & affectuum motibus & consilijs obedire solet.

Est autem VOLUNTAS, facultas naturalis, qua aut appetitur, quod placet, aut declinatur quod displicet. Quatenus autem naturalis facultas est, à Deo est, & quo ad substantiam semper bona. Verum quantum ad habitum attinet, variat. Nam est voluntas mala, est & voluntas bona. Malam habemus ex corruptione naturæ, bonam ex gratia. Mala sequitur mentem, cogitationes & affectus carnis: bona comitatur mentem, cogitationes & affectus spiritus. Iam quicquid homo facit, bonum esse non potest, nisi ex bona procedat vo-

D 3 lunta-

luntate. Quare vt pastor carnis voluntati renu-
n-
ciare : ita spiritus voluntatem facere,
operose studebit. Quæ spiritus voluntas,
perpetua ad imperandum domina esse de-
bet. Norma autem imperij verbo Dei con-
tinetur.

Sequitur S T V D I V M, quod inter par-
tes eas, quas animo subiecimus, postremum
locum occupat. Hoc nihil aliud est, quam
vt pastor, renunciata carne perpetuò stu-
deat, vt pulcherrima harmonia consenti-
ant, mens, cogitatio, affectus, & volun-
tas, vnicum scopum Deum sibi proponen-
tes : Vt, quæ mens rectè intelligit, cogitet
sedulò animus : quæ animus cogitat, ad il-
lud rapiantur affectus : quæ pij affectus sua-
dent, hoc seriò imperet voluntas.

Haftenus de disciplina animæ : nunc de
corpore pauca subiiciemus.

In corpore suo pastor curabit, ne vel
mollitie torpescat, vel duritie seu sausteri-
tate frangatur. Sicuti enim Deus vetat,
ne præter modum indulgeamus corpori :
ita quantum necesse est, illi dari præcipit,
ne nimia inedia & duriori disciplina fran-
gatur. Huc pertinet dictum Pauli Colof. 2.
honorem habere corpori pro modo neces-
sitaris præcipientis. Debetur autem honor
corpori, quia domicilium & organon est
Dei.

Dei. Quare cauendum est in primis, ne vel
crapula, vel inedia, aut nimis rigido ieiu-
nio destruat. Ut autem pastor melius
intelligat, quid sentiendum sit de corporis
disciplina, genera exercitiorum corporis
recitabo, quorum quædam laudabilia sunt,
quædam extremè vituperanda.

Est itaq; quadruplex exercitium corpo-
ris. Epicureum: Pharisaicum: Politicum:
Christianum.

EPICVREVM exercitium pessimum
est, & planè hominis dignitate indignum.
Nam qui huic se dederunt, potando & sua-
uiter edendo, & molliter vestiendo se sagi-
nant, ac delicijs varijs quasi corpora sua
emasculant. Verè enim dictum est: Scor-
tatio, vinum, & ebrietas, auferunt cor. Et
Homerus ait: οἷτ' αὐτῶν πρῶτον κακὸν ἔρετο οἴνο-
βασιλῶν, Hoc est, sibi ipsi primo malum inue-
nit vino grauatus. Et Esaias minatur ma-
lum ijs, qui ebrietatem sectantur, dicens:
Væh qui potentes estis ad bibendum vi-
num, & viri fortes ad miscendam ebrie-
tatem.

Cum ergò Epicureum viuendi genus, &
valetudinem lædat, & infame sit apud sanos
philosophos, & verbo Dei damnetur, vt
quod reddat hominem inutilem prorsus ad
omnia hominis officia: sit minister parcus in

D 4 cibo,

nis voluntati
ntatem facere,
ritus voluntas,
lomma esse de-
verbo Dei con-
quod inter par-
nus, postremum
aliud est, quam
ne perpetuò fru-
rmonia consenti-
ffectus, & volun-
m sibi proponen-
intelligit, cogite-
mus cogitat, ad il-
quæ pij affectus sui-
t voluntas.
lina animæ: nunc
ms.
or curabit, ne ve-
luritie seu saustre-
enim Deus vetat,
geamus corpori:
lli dari præcipit,
i disciplina fran-
m Pauli Colof. 2.
pro modo neces-
tur autem honor
& organon est
Dei.

cibo, temperans in potu, vestibus ne luxuriet, vt possit esse idoneus, ad cogitationes de Deo, & ad motus diuinos, & vt corpus possit esse durabilius & firmitus in senecta.

PHARISAEICVM exercitium, est, quo superstitioni omnia doctrina de vera iusticia, remissione peccatorum, & satisfatione pro peccatis, se macerant ieiunio, longis preculis, chameunijs & alijs asperimis laboribus: putantes huiusmodi opera esse cultum Dei, iusticiam, & satisfationem, & mereri remissionem culpæ & pœnæ. Hinc manauit Monastica vita & Eremitica, eorum qui in mandris suis durissimam vitam vixerunt, vt Iosaphat, Auenniri regis filius malè instructus ab hypocrita Barlaam suo magistro. Hic enim patre mortuo regni diadema suscepit quidem: sed subditis commendata religione Christiana, se abdidit in eremum. Vbi multis annis squalore, ieiunio, & durissimo victu se maceravit, vt isto pacto cœlum mereretur. Sic multi reges, & homines alij non mali, monasticam vitam elegerunt, vt in ea, ieiunio, preculis ad certam mensuram recitatis, sordidis vestibus, duris cubationibus satisfacerent pro peccatis suis, & mererentur cœlum.

Hoc suo facto quadrupliciter peccauerunt.

runt. PRIMVM, læsione corporum, quibus Paulus præcipit honorem haberi. DEINDE, falsis opinionibus. TERTIÒ, contumelia in filium Dei, cuius satisfactionem contemserunt. POSTREMO, malo exemplo, quod cum multi secuti sunt, cum suis autoribus malè perierunt.

Sciat ergò pius pastor, quo in loco habenda sint huiusmodi hypocritarum exercitia, & potius vnum Abrahamum sequatur, qui absq; omni dubio absolutum Christianæ perfectionis exemplar exhibet.

POLITICVM exercitium, est quod suscipitur, vel habitus alicuius induendi gratia, vt palæstricum, gladiatorium, technicum: vel sanitatis conseruandæ gratia, vt ambulationes, labores, &c. Huiusmodi exercitia non improbantur, imò vtilia, & in omni vitæ genere sunt laudabilia.

CHRISTIANVM exercitium, est quod ex fide proficiscitur in bonum finem, exclusa opinione cultus, iusticiæ, meriti & necessitatis. Hoc genus potissimum suscipitur à pijs, quando sentiunt sua corpora pigriora effici, & veluti languere circa desideria carnis. Tum enim pij solent vigilijs, ieiunijs, laboribus, lectionibus longioribus se excitare, vt caro imperio spiritus subijciatur. Verùm hoc exercitium dua-

bus regulis regi debet: quarum vna est Pauli, qui præcipit honorem, hoc est, curam habere corpori, seruato modo necessitatis. Altera est Athanasij. Bonum (inquit) est exercitium corporis, modò vera scientia & moderatione fiat. Vera scientia est, vt non suscipiatur cultus, aut meriti gratia: sed vt eo tantum corporis ferocia reprimatur, ne sit spiritui nimium molestū. Moderatio necessaria est, vt nec impediatur necessaria officia, nec valetudinem laadat.

Dicitur est de disciplina animi & corporis, & ostensum est quid pastor noster debeat fugere, vt quod contaminet corpus & animam: & quid debeat sectari, quo corpus seruetur castum, & animus purus. Iam vtrunq; coniungendum est. Neq; enim animus mundus esse potest, nisi castum sit corpus: neq; corpus castum, nisi animus sit purus.

Sit ergò animus purus, & corpus castum, vt alterius puritas alterius testetur castitatem: vt fiat id, quod Paulus optat suis Thessalonicensibus, cum ait: Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, vt integer vester spiritus, & anima, & corpus inculpatè in aduentum Domini nostri Iesu Christi seruentur. Glorifica ergò & tu, ô pastor, Deum corpore tuo, & spiritu tuo

quæ

quæ
ne imp
minu
imagit
strum
Nu
testis
quis p
est, ear
ria tua
queas
densis
in te est
dit. Q
moria
timor
Q
hoc de
futuri
nisi illa
Di
parte
mus,
storis
homo
Deus,
coron
lam, c
diè, qu
rit inf

quæ sunt Dei, vt ita integer sis totus: caue ne impunè putes te euasurum, si oculos hominum lateant tua facta. Ipse enim Deus imaginem futuri iudicij, in vnoquoque nostrum reliquit.

Nullus (fortè dicis) accusat, nullus est testis factorum meorum, quis iudicabit? quis puniet? Conscientia tua iudicatrix est, eam audi, ausculta quid dicat: Memoria tua est testis factorum, vt ea negare nequeas: Ratio iudex præsens est, etiam in densissimis tenebris: Timor carnifex intus in te est, & ad casum cadentis folij se prodat. Quod enim conscientia accusat, memoria testificatur: & quod ratio iudicat, timor excruciat.

Quare hæc ita in te diuinitus fiunt? vt hoc domestico iudicio admoneat te Deus futuri sui iudicij, quod nequaquam euades, nisi illud matura pœnitentia anteuertas.

Dictum est, vt opinor, satis de prima parte nostræ instructionis, in qua ostendimus, quæ conueniat disciplina animæ pastoris, & quæ corpori: & quomodo totus homo debeat integer esse, quò sanctificetur Deus, & corpore, & spiritu pastoris. Iam coronidis loco adijciam precandi formulam, qua pius pastor ea precabitur quotidie, quæ in priuata eius vita, nostra requirit instructio.

P R E-

PRECANDI FORMULA.

DVL CISSIME Domine IESV
 CHRIS TE, te inuoco: tu enim lux mea
 es: tu vita: tu salus: tu Deus meus viuus:
 Pater meus sanctus: Deus meus pius: ma-
 gister meus viuus: Pastor meus bonus:
 adiutor meus optimus: Te deprecor, tibi
 supplico, te rogo, vt per te ambulem, ad te
 perueniam, in te requiescam: fac vt per tu-
 um auxilium sanctè, piè, & rectè viuam:
 mentis meæ tenebras discute: cogitationes
 prauas cohibe: affectuum malorum flam-
 mas extingue: voluntatem peruersam tuo
 reprime imperio: ac luce tua mentem illu-
 stra: cogitationes pias suggere: affectus
 bonos accende: & voluntatem meam ad te
 conuerte, vt quæ tu vis, velim & ego. Præ-
 terea, cum corpus meum domicilium sit
 animæ meæ, fac, quæso, vt illud tuo auxi-
 lio castum & mundum conseruem: quò ani-
 ma purgata in corpore mundo habitet:
 quò integer sim, anima, spiritu, & corpo-
 re: & te perpetuò in corpore, & in anima
 mea glorificem: tibi Pastori meo, ac soli
 Deo, cum Patre & Spiritu sancto sit bene-
 dictio & gloria, & sapientia, & gratiarum
 actio, honor & virtus, & robur in secula se-
 culorum, Amen, Amen: FIAT, FIAT.

DE

D E S E C V N D A P A R T E,

Q V A E C O N T I N E T I N S T R V -
 ctionem, iuxta quam pastor suam
 domum & familiam
 regat.

I N S T R V X I M V S pastorem nostrum so-
 litarium, & ostendimus quali cupiamus
 eum gubernari disciplina, quando solus se-
 cum agit, atque eius vita soli Deo patet.
 Nunc ipsi de solitudine educto domū com-
 mittamus, monstremusq; qua deceat ip-
 sum disciplina domum ac familiam admi-
 nistrare. Quam autem sit domestica hæc
 disciplina necessaria pastori, Paulus osten-
 dit 1. Timoth. 5. cum inquit: Si quis suos,
 & maximè domesticos non curat, fidem ab-
 negavit, & est infideli deterior. Et Bern-
 hardus inquit: Ne maledictio intret do-
 mū, custos in porta disciplina ponenda est.

Cum itaq; pastori pio incumbit, vt su-
 am domum & familiam, pia & sancta regat
 disciplina, capita certa proponam, ad quæ
 totam disciplinam domesticam referam.
 Sunt autem hæc capita:

- I. Qualis vxor ducenda parocho.
- II. Affectus pastoris erga vxorem.
- III. Instructio vxoris & tractatio.
- IIII. Educatio liberorum.

v. Tra-

Domine IESU
 tu enim lux mea
 us meus viuus:
 meus pius: me-
 r meus bonus:
 e deprecor, tibi
 te ambulem, ad
 am: fac vt per tu-
 , & rectè viuam
 cute: cogitatione
 im malorum flar-
 tem peruersam tu-
 ce tua mentem illi-
 s suggere: affectu
 luntatem meam ad-
 is, velim & ego. Pa-
 neum domicilium
 so, vt illud tuo am-
 conseruem: quò
 re mundo habitet
 , spiritu, & corpore,
 rmore, & in animi
 astori meo, ac sol-
 itu sancto sic bene-
 ntia, & gratiarum
 robor in seculis
 FIAT, FIAT.
 D B

- v. Tractatio familiæ, hoc est, seruorum
& ancillarum.
- v i. Cura & prouidentia de victu & ne-
cessarijs.
- v i i. Liberalitas in pauperes.
- v i i i. Totius domus precandi ratio, &
tempus.

Q V A L I S V X O R D V C E N D A
P A R O C H O.

SALOMON dicit: Domus & diuitiæ, hæreditas patrum est: à Domino autem accipitur vxor prudens. Hæc verissima gnoma monet, vt pastor ducturus vxorem, ante omnia Deum roget, vt sibi vxorem adiungat, cum qua pacificè, & in timore Dei viuere possit. Multi iustas pœnas lunt, qui non à Domino, sed à Baccho, & Venere, vxores accipiunt. Quare pastor, cum primùm animum ad coniugium applicuerit, seriò & ardenter oret Deum, vt ipse sibi monstret, quæ futura est commoda. Denique vbi à Domino cœpit vxorem petere, consilia amicorum, ac præcipuè piorum adhibeat. Nam amor sæpissimè, etiam in pijs, cæcus est. Et, iuxta Theocriti dictum, quæ non sunt pulchra, amori pulchra apparent. Opus est ergò hic amicorum oculo & consilio.

Post-

P
place
pastor
coniu
tem c
mum
nesta
sensur
quam
tit, s
fuisse
ter ca
lum: h
cè ant
gratia
pecta
antec
tam,
minia
fore t
turpita
or, vt c
fiat qu
lim p
Le
cerdo
cem
que n
quia

Postquam autem monstrata est persona placens, rursus ad orandum se conuertat pastor, vt Deus, si futurum est è re sua, coniungat animos vera storga. Hoc autem cum senserit, non more lenonum animum puellæ, aut viduæ explorabit : sed honesta legatione amicorum, petet ipsius consensum. Qui si negatus fuerit, non est, quam Deus illi donare decreuit : si consentit, speret eam diuinitus sibi monstratam fuisse. Verum interim hoc pastori diligenter cauendum, ne spontè accersat sibi malum : hoc est, ne eam ducat, quæ vel publicè antea corpus suum prostituit quæstus gratia, vel ab alio est stuprata, aut est suspecta. Qui autem hoc facit, prolibus suis, antequam nascantur, inurit infamiæ notam, ac domum propriam perpetua ignominia dehonestat : vt interim taceam, vix fore tutam vitæ sociam, quæ alios antea turpiter amauit. Fieri autem posse fateor, vt quæ fuit corrupta, pœnitentiam agat, fiatque pia & honesta matrona : tamen nolim pastorem meum tali spe periclitari.

Leuitic. 21. lex proponitur leuitico sacerdoti, his verbis : Mulierem meretricem aut stupratam non accipient, neque mulierem repulsam à viro accipient, quia sancti sunt Deo suo. Neque hoc tantum

tantum propter typum factum est, sed multò magis propter publicam honestatem, vt rectè Procopius interpretatur. Non enim solum pastoris est, vt fugiat manifesta mala: sed etiam vt declinet illa mala, quæ famam ipsius suggillant. At quidam dicunt, opus misericordiæ esse, si quis errantem reuocauerit, & ex vilo scorto fecerit honestam matronam: Imo, quod melius est, è schola Satanæ in scholam Christi receperit. Nam pastoris domum scholam Christi esse oportet. Fateor quidem ista magna esse. Verum vt rarum est è scurra fieri bonum patremfamilias: ita rarum est ab impudica fœmina, fieri pudicam matronam. Χαλεπόν, inquit Theocritus, χορίων κωα γευσαι, hoc est, difficile est canem gustasse intestina. In scholam Christi recepta meretrix, haud dubiè pudicitiam & castitatem disceret, vt lupus fertur in scholam receptus, didicisse syllabicare, pa, & ter, interrogatus quid facerent p & a, respondit pa: rursus quid facerent t e & r, respondit ter. Hætenus non infœliciter in schola versatus est lupus. Verum cum idem iussus sit coniungere syllabas, pa, & ter, respondit, agnus. Quare ita? quia aliud os, animus aliud loquebatur. Os præceptoris vocem secutum est, sed quod in animo latuit tandem

dem e
indico
trix, it
s, t &
ca: de
gere h
dubiè
subitò
pudica
tenta:
rara
pericul
beat et
tia, &
nonna
vxoris
Q
is qui
tus est,
ficina e
veritat
mia lab
crimer
Q
Pastor
genter
parent
puellæ
ipsa al

dem erupit. Simile periculum timendum iudico, si in scholam pietatis recepta meretrix, iuberetur syllabas facere, ex c & a. s, t & i. & t, a, s. diceret quidem primum ca: deinde sti: tum, tas. Sed iussa coniungere has tres syllabas in dictionem, haud dubiè sonaret Amasius. Sed sit sanè quòd subitò ex meretrice fieret matrona, ex impudica pudica, ex publica fœmina, vno contenta: (etsi huiusmodi metamorphosis est rara) tamen in pastoris domum nolim tale periculum spontè recipi, præsertim cum debeat esse alijs exemplum pietatis, pudicitiae, & honestæ famæ: vt interim taceam nonnullam labem adhærere ministerio, ex vxoris moribus viciosis.

Quare nullo pacto ferendum iudico, vt is qui ad sanctissimum ministerium vocatus est, cuiusq; domus debet esse veluti officina quædam omnis pietatis, castitatis & veritatis, ducat vxorem quæ publica infamia laborat, aut quæ alioqui ob aliquod crimen suspecta est.

Qualem ergo iudicas ducendam esse? Pastor ducturus vxorem quatuor hæc diligenter examinet. Num pij & honesti sint parentes puellæ, quæ placere cœpit. An puellæ mores, graues & honesti sint. An ipsa aliquod artificium sciat. An obnoxia

E

sit publi-

fit publicæ famæ. Parentes requiro pios & honestos, cum propter futuram affinitatem, tum propter spem de pietate & honestate vxoris ducendæ. Nam à bonis nasci boni solent. Deinde, mores in puella graues & honestos postulo. Sæpe enim fit, vt quæ nata est ex bonis parentibus, & cuius fama est illæsa, prodat tamen signis externis, qualis intus lateat animus. Philosophus quidam ait, non multum referre, quæ in parte corporis quis sit impudicus. Aliquando vultus & oculi, interdum incessus, nonnunquam vestitus, haud rarò lingua animum impudicum prodit. De impudicitia ex oculis cognoscenda, hoc modo Syracides: Impudicitia mulieris elucet in elatis ipsius oculis, atque in palpebris eius cognoscitur. Hic Syracides mulieris oculos, libidinis eius indices, & in supercilijs certa signa esse dicit. Atq; ita vultu & oculis, prodit puella, quod occultum esse putat. Benigni oculi, summam animi pulchritudinem comitari solent: procaces oculis, animo etiam procaci sunt vt plurimum.

Quare pastor vxorem ducturus, pudicis oculis præditam quærat. Ea enim videtur ingenio ad temperantiam, iusticiam, pudicitiam, continentiam, ad omnem deniq; virtutem nata. Incessus quoq; haud rarò

rarò an
& impu
matus i
vndaru
aërem
prias ex
dunt ar
dicitia
enim fo
dent, e
nis non
in veste
& ferme
fœmina
tra sine
filiti
fœmin
grauia
mento
Hæc
dit, vt p
pudica
tiam &
gua m
Non e
tum n
eam q
pro co
paren

rarò animi vicia prodit. Nam & superbiæ & impudiciæ signum est, arte veluti formatus incessus. Multæ cum incedunt, in vndarum more torquent corpus: multæ aërem occipitio feriunt: aliæ alias ineptias exprimunt, quibus impudicum produnt animum. Præterea, Vestitus & pudicitia & impudicitia testis esse solet. Quæ enim fœminæ nimium cultui vestium student, & præcipuè si status sui & conditionis non habent rationem, libidinem animi in veste pingunt. Maximè omnium lingua & sermo, animi character est. Loquaces fœminæ apud omnes, infames sunt: Contra singulare mulierum ornamentum, est silentium, sicuti & Ajax suæ obiecit loquaci fœminæ. Pauca, inquit, mihi loquere, & graua. Mulieribus enim silentium ornamento est.

Haftenus de moribus. Summa huc redit, vt puella ducenda pastori in vxorem, sit pudica facie, incessu composito ad pudicitiam & grauitatem, vestitu decenti, & lingua minimè petulanti. De artificio restat. Non est vtile pastori, eam ducere, quæ tantum nata ad deuorandum videtur. Quare eam quærat, quæ muliebria artificia nouit, pro conditione suæ personæ, quæ assuevit in parentum ædib. eâ curare & administrare,

quæ ad matronarum officia pertinere videbuntur. Breuiter, sit talis, quæ, si res postularit, victum honestè quærere possit suis manibus, honesto aliquo artificio. Non enim decet, vxorem pastoris ocio deditam esse: quales solent esse, quæ apud parentes nimis tenerè sunt educatæ. Nam pastor cum sua vxore, ad quamuis fortunam paratus esse debet.

Sequitur fama publica, cuius etiam rationem habere debet pastor. Etsi enim cum ea sint salua, de quibus iam diximus, hoc est, si nata est puella ex honestis parentibus, si bonis moribus est prædita, si honestum aliquod artificio nouit, fama honesta comitari solet: tamen vtile est, eam etiam in consilium adhiberi. Illa enim verè honesta est, de qua fama veretur mentiri. Verum si fama aliquid contra ea, quæ foris videntur, ferat, prudenter circumspectandum, vt quid veri sit inquiratur. Nam sæpe vsu venit, homines vana loqui, idq; vel benevolentia, vel odij affectu ductos, vt verè Nazianzenus refert. Quare hic prudens circumspectio adhibenda est.

Dixi qualem velim pastorem meum quærere sponsam, quam cum nactus fuerit, debet in timore Dei & sponsalia & nuptias celebrare, & inuitare filium Dei suis precibus,

bus, ut aspera, quæ fortè inciderint in ista noua societate, velit mollire, & aquam in vinum conuertere, hoc est, tenues ipsorum facultates, sua benedictione profequi & augere.

AFFECTVS PASTORIS
ERGA VXOREM.

UT AVTEM pastor sciat, qualem affectum oporteat ipsum habere erga vxorem, quam iam accepit, respiciat cum ad Deum, à quo vxorem petijt, tum ad primam coniugij institutionem.

Si ad Deum respexerit, admonetur amoris erga donum Dei. Non enim debet ut vilem contemnere, quam scit sibi à Deo datam esse: imò potius vero & sincero charitatis affectu profequi.

Si ad primam coniugij institutionem respexerit, animaduertet Heuam de costa Adam extractam esse, & datam fuisse Adamo in vxorem. Debet igitur eam amare, ut propriam carnem: debet eam fouere, ut propriam costam: debet illam imbecillum refocillare, ut proprium membrum. Quis enim tam crudelis est, ut suam ipsius carnem amare, fouere & reficere non velit?

Deinde, quia Heua non de Adæ capite, neq; de pedibus est facta, sed ex latere est

formata, admonetur pastor de rebus tribus: videlicet, quòd vxor non sit domina sua, quia de capite non est sumpta: Nec serua, quia non est de pedibus formata. Sed quod sit socia, quia de medio, hoc est, de latere prodierit. Vt igitur non debet pastor, imperium in vxorem habere vt in seruam, nec illi subijci vt seruus: ita debet ex lege instituti coniugij, eam vt propriam carnem, atq; sociam vitæ, intimo amore complecti. Hic amor fundamentum erit reliquorum officiorum in tota vita.

I N S T R V C T I O V X O R I S .

I N S T R V C T I O N E M vxoris, hic intelligo eam informationem, per quam consuetudo coniugum amabilis, dulcis, & sine omni molestia reddi possit. In primo enim congressu, iaciendum est fundamentum futuræ consuetudinis in tota vita.

Primum itaque pastor vxorem nactus, diligenter instruat eam, & veluti de nouo paciscatur cum ea, de constantia & perseverantia in vera pietate: hoc est, quòd velint vnà Deo obedire, statuantq; se pietatem omnibus rebus mundi velle antepone- re. Hoc iacto primo instructionis fundamento, omnia postea erunt facilia.

Hinc amicitiam mutuam pendere doceat. Nul-

at. Nulla enim stabilis & firma amicitia esse potest, nisi à Deo ortum habeat. Admoneat omnem inimicitiam inter coniuges, cum pacto pietatis pugnare: quod pactum violare summa temeritas est. Adhæc ex eodem fundamento doceat vxorem, quòd virtus ac morum probitas, inter coniuges mutuam oblectationem pariat.

Quare vt pastor ipse virtutis ac probitatis exemplum, vxori esse debet: ita eandam sedulo hortetur, vt in eius vita morum quædam probitas reluceat, doceatq; non in auro & splendidis vestibus, sed in morum probitate, præcipuum honestæ matronæ ornamentum esse situm: iuxta hoc insigne Cratetis dictum, de ornatu mulierum. Ornatus est, inquit, quod ornat. Ornat autem quod ornatiorem vxorem facit: facit autem ornatiorem neq; aurum, neq; smaragdus, neq; coccus, sed quæcunq; grauitatis, modestiæ, & ingenui pudoris indicium addunt. Hoc comprobet pastor verbis Petri, 1. Pet. 3.

Instituât præterea pastor vxorem, de mutua *ἐπιμελεια*, hoc est, de æquitate & moderatione: qua vterq; alterius æqui boniq; consulat mores & errores. Hanc æquitatem omnino necessariam esse doceat. Nam in hac naturæ imbecillitate multa errata in-

cidunt, quæ nisi mutua condonatione tege-
rentur, horrendi tumultus orirentur, & ci-
tò fieret alienatio animorum inter coniu-
ges: præsertim cum Diabolus insidiatur
coniugibus, & præcipuè incumbit, vt con-
iuges suo veneno inficiat: quò postea inde
prodeant homines, apti ad propagandum
Satanæ regnum. Multus ergo sit pastor,
præsertim adhuc primo amore feruente, in
commendanda vxori hac mutua *ἀγαπῆ* to-
to vitæ tempore necessaria. Hanc mode-
rationem amor mutuus alet, fouebitq;: fa-
ciat quoq; vt coniuges non nimis acutè al-
ter in alterius vicia, introspiciant: sed vt
multa aut non animaduertant, aut si ani-
maduerterint amore mutuo tegant. Si
quando necessaria est admonitio, efficien-
dum vt ea ex amore proficisci videatur.
Adhæc doceat vxorem, si opus esse videtur,
vt piè & sedulò præstet officium, non tan-
quam in conspectu hominum, sed vt in con-
spectu Dei. Postremò & voce, & exemplo,
doceat pastor vxorem pietatis exercitia,
inuocationem, gratiarum actionem, sacras
ceremonias reuereri, &c. de quibus rebus
infra fortasse plura.

Hæc sit breuis instructio, qua pastor su-
am vxorem, quam ducit iuuenulam, in-
formare potest: qui tum demum efficaciter
eam

eam instruet, si ipse præierit exemplo, & quod ab vxore requirat, ipse primus faciat.

Sed vnum ferè prætermissem, quod nequaquam omittendum fuit. Vxor pastoris vbi conceperit, admoneatur à marito, vt siue cubitum eat, siue surgat, Deo commendet, quod benedicente Deo concepit: Petat vt ipse sua potentia & bonitate assistat, tueatur, ac foueat quod conceptum est. Quomodo autem infans natus educari debeat, iam dicendum est.

EDUCATIO LIBERORVM.

PÒST QVAM pastor videt benedictione Domini auctam familiam, non cessabit Deo gratias agere, pro tanta benedictione, & orabit, vt Deus quod dedit clementer tueri velit.

In educatione autem puerorum, sit primum fundamentum, inuocatio Dei pro pueris. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra laborat, qui ædificat eam. Frustra itaq; omnis cura educandæ sobolis suscipitur, nisi Deus manum adhibeat, & dederit pueris aduersus Satanam angelos custodes.

Deinde, hoc iacto fundamento de inuocatione Dei pro pueris, summa pastoris

cura esse debet, vt vnà cum lacte natus infans incipiat balbutire Iesu nomen. Illa enim dulcis appellatio, prima cum fuerit in infantis ore, spes est vt in reliqua tota vita illuc maneat, non sine maximo fructu. Vbi autem puer fari cœperit, mox precandi formulam à Christo præscriptam discat, eamq; sæpius recitet, & præcipuè cum itur cubitum, cum surgitur manè, & in principio & in fine prandij & cœnæ. Hanc vbi aliquo tempore vsu firmauerit puer, addatur symbolum: mox decalogus: postremò doctrina de sacramentis.

Porrò vbi ætas maior accesserit, hoc est, circa septimum annum, pater incipiat puerum docere, de creatione, de lapsu primorum parentum, de peccato propagato à primis parentibus in totum genus humanum. Deinde proponat Christi beneficia, quomodo ipse propitiator peccati sit, cuius propitiationis testimonium & sigillum est ipse baptismus. Hic doceat pastor puerum accuratè de baptismo: ostendat baptismum, testimonium esse ablutionis peccatorum, per sanguinem Christi: ostendat baptismum, perpetuam concionem pœnitentiæ esse: ostendat baptismum, sigillum esse beneficiorum Christi, & vitæ æternæ. Admoneat puerum de candida veste, quæ

ste, c
ipsum
vestit
poste
ditari
patris
H
la pro
modo
ramul
improb
aliquar
ne scri
puellæ
Pra
ram m
decer
laudet
parente
modest
uerenti
cum pa
Ca
quatu
rorum
diuer
tradit
P
pueris

ste, quæ ipsi imposta fuit in baptismo, quæ ipsum in tota vita admonebit, quòd & sit vestitus iusticia Christi, & quòd debeat in posterum candidam & sanctam vitam meditari. Hæc omnia melius discunt pueri, si patris vitam videant doctrinæ respondere.

His iactis pietatis rudimentis, masculæ proli proponat pater literas discendas, modo ad eas aptus videtur: fœmellæ opera muliebria: nisi fortè placet, quod non improbo, eam institui in literis, vt possit aliquando sacros libros, vernaculo sermone scriptos, legere. Nam vt Latinè discant puellæ non suadeo.

Præterea habeat pastor singularem curam morum in liberis. Si quid quod non decet agant, puniat: si officium faciant, laudet: moneat quàm honestè domi erga parentes & familiam se exhibeant: quàm modestè foris erga alios se gerant: quæ reuerentia excipiant senes: quo candore cum paribus conuersentur.

Cæterum vt rem ad numeros reuocem, quatuor potissimum in institutione puerorum spectanda sunt, quæ Paulus, etsi in diuersis locis, de puerorum educatione tradit.

PRIMUM, quid parentes debeant pueris, exponit.

DE-

DEINDE, quid caueant parentes in puerorum educatione, docet.

TVM, quid in pueris sit culpandum, admonet.

POSTREMO, quorum puerorum mores sint laudabiles, monstrat.

Ad Ephesios sexto, quid parentes debeant pueris his indicat verbis: Patres educate liberos vestros, in disciplina, & correptione Domini. Breue quidem præceptum est, sed multa continet. Vult enim vt à cunis liberi sancta institutione formentur, ac sanis admonitionibus corrigantur subinde: vult eos enutriri in disciplina & correptione, non quauis, sed Domini: vult vt discant præcepta pietatis, ciuilia morum instituta: vult eos proficere in timore Dei: vult eos informari in veritate, iusticia, temperantia, pudore.

Proinde pastor, cui prolem donauit Dominus, in his sit sedulus: enutriat suam sobolem in disciplina, & monitis Domini: & simul addat domesticum exemplum, ne quid turpe dictu à se audiant, ne quid turpe factu in se videant: imò potius det operam, vt se viuum exemplar omnis pietatis & probitatis habeant.

Quid parentes in puerorum educatione cauere debeant, apostolus in eodem capite
osten-

offer
iram
ne in
spere
quo fi
Ideo a
anima
rata, i
more,
alacrit
illibera
inflam
deat er
suorum
seuerita
Qu
Paulus
eligend
dit. Lib
luxus, au
ma nota
ria om
luxuria
tionem
gogi,
gnifice
uia, ho
la salus
tia ext

R E.

parentes in
culpandum,
rorum mores
arentes debe-
: Patres edu-
lina, & corre-
em præceptum
lt enim vt à cu-
formetur, ac
igantur subin-
iplina & corre-
Domini: vult
, ciuilia morum
re in timore Dei
ate, iusticia, tem-
prolem donant
s: enutriet suam
onitis Domini:
exemplum, ne
nt, ne quid tur-
potius det ope-
omnis pietatis
um educatione
eodem capite
osten-

DE PASTORE. 61

ostendit, cum inquit: Vos patres ne ad iram prouocetis filios vestros. Vult Paulus ne immodica sæuitia parentes filios exasperent. Hinc enim nascitur odium: ex quo fit demum vt iugum prorsus excutiant. Ideo ad Coloss. additur: Ne despondeant animum. Ingenua enim tractatio, & moderata, magis liberos retinet in parentum timore, atq; etiam obsequendi studium & alacritatem illis auget: contra durities & illiberalis austeritas, eos ad contumaciam inflammat, & pios affectus extinguit. Studeat ergo pastor, vt disciplina puerorum suorum comitate sit temperata, ne nimia seueritate vsus, pueros perdat.

Quid in pueris culpandum sit, idem Paulus in Epistola ad Titum, vbi agit de eligendo Episcopo, hoc est, pastore, ostendit. Liberos habens non obnoxios crimini luxus, aut contumaces. Duo vicia grauissima notat, ἀσωτίαν & inobedientiam. ἀσωτία omnem intemperantiam significat, vt luxuriam, lasciuiam, prodigalitatem, heluationem, &c. Clemens in secundo Pædagogico, dicit ἀσωτίαν dici quasi ἀσωσίαν, vt significetur finis eorum, qui luxuriæ, lasciuia, heluationi dediti sunt. Illis enim nulla salus reliqua est, seipsos sua intemperantia extremè perdunt, Aliud vicium quod culpatur

culpat in pueris, est inobedientia, ex qua prius illud nascitur. Cum igitur Paulus non vult eligi vllum pastorem, cuius liberi sunt luxuriosi & contumaces, det operam pastor, vt prudenti moderatione, pullulanti in liberis vicia corrigat. Si enim tempestiua & prudens disciplina adhibetur, nemo tam distorta est natura, quin flecti possit. Verum si inueteratum fuerit malum, frustra corrigere studebis. Principijs ergo obsta. Laudabiles mores puerorum qui sint, indicat Paulus 1. Timoth. 3. vbi loquitur de eligendo pastore. Qui (inquit) filios habet, cum omni subiectione, & reuerentia seu honestate, aut castitate. Omnia enim hæc, Græca vox *σεμνότης* complectitur. Vult ergo in summa, liberos pastoris moribus esse ad omnem obedientiam, reuerentiam, castitatem, modestiam, & grauitatem compositis, ita vt patris quasi ingenium referant.

TRACTATIO FAMILIAE, SERVORVM ET ANCILLARVM.

GENERALIS regula, iuxta quam oportet Christianos dominos agere cum suis seruis & ancillis, traditur Ephes. 6. hisce verbis: Et vos domini eadem facite erga seruos,

seruo
iracu
rum d
accep
rali re
eriam
minus
ta & ep
sua fam
nia, vt
delis. I
discipli
religio:
lent vt
moribus
gis par
pia fam
Hæc
curet vt
suefaciat
castitate
DEI
placide
las suas
enim c
num, q
TE
dat pas
est, rã

seruos, remittentes minas, seu laxantes iracundiam, scientes quod & vester ipsorum dominus est in cœlis, & personarum acceptio apud Deum non est. Huic generali regulæ subesse debet pastor. Præterea etiam cogitabit, quod non sit tantum dominus in sua familia, verumetiam propheta & episcopus, qui debet curam animarum suæ familiæ habere. Curet igitur ante omnia, vt sua familia sit pia, sit honesta, sit fidelis. Neq; ferat seruum & ancillam, qui disciplinæ domesticæ, etiam quantum ad religionem attinet, subesse recusant. Solent vt plurimum serui accommodare se moribus dominorum suorum: quantò magis par est, vt pij pastoris mores exprimat pia familia.

Hæc sit ergò PRIMA regula, vt pastor curet vt habeat piam familiam, eamq; assuefaciat ad humanitatem, temperantiam, castitatem, & alias virtutes.

DEINDE, iuxta Pauli regulam pastor placidè & amanter foueat seruos & ancillas suas, tanquam conseruos Dei. Habent enim domini & serui communem Dominum, quem suspicere debent vtriq;.

TERTIO, iuxta præceptum Pauli reddat pastor suis seruis & ancillis, τὰ αὐτὰ, hoc est, τὰ δίκαια, iuxta distributiua iusticiam.

Neq;

Nec enim sic habeat pastor obnoxios sibi seruos, quin sciat se vicissim illis obnoxium esse. Seruis laborantibus reddat iustam mercedem, eos foueat ac complectatur in Domino.

QUARTO & postremo, curet pastor ut sui serui publicas ceremonias frequentius accedant. Hac enim ratione & seruis præstat paternum beneficium, & alios exemplo inuitat, ad similem humanitatem erga suos.

CURA ET PROVIDENTIA
DE VICTU ET NECESSARIIS.

CUM hæc vita opus habeat necessarijs adminiculis, ut conseruari possit, non debet pastor ea media contemnere, quæ Deus ordinauit.

Qui in vrbe habitat pastor, stipendium suum certum nouit, quod ut rectè dispenset, opus est singulari prudentia, ne vel sordidus videatur, vel prodigus. Vtrunque vicium indignum est pastore. PRODIGALITATI medebitur, si perpendat & computet exactè, quantum per annum requiratur ad honestam familiæ sustentationem. AVARITIAE, si Deo fidat, non creaturæ, & statuatur ex benedictione Domini

niro
tat p
test f
& alij
à reg
regnu
praci
Q
bet ad
quarer
ad cul
ram da
manea
testatu
nedicti
lucrum
mis ac
dens ce
res pol
Quod
gratias
spinas
vlu ver
Deum
enim f
certit
& viua
Co
pastor
appo

ni robur esse pani. Qui autem ruri habitat pastor, & habet agros & decimas, potest suis rebus studere, vt habeat quo suis & alijs possit benefacere. Sed non discedat à regula Christi, qui ait: Quærite primum regnum Dei: meminerit primam curam & præcipuam esse debere salutis.

Quia autem, vt dixi, hæc vita opus habet adminiculis iuxta Dei ordinationem, quærere potest pastor facultates, eisq; quæ ad cultum victumq; necessaria sunt, operam dare, modò intra limites sui officij maneat. Quod autem hoc liceat pastori, testatur promissio Dei, qui promittit benedictionem piè laborantibus. Proinde & lucrum, quod pastori ex suis agris & decimis accedit, potest & debet pastor vt prudens œconomus conseruare, & postea vt res postulauerit prudenter dispensare.

Quod si facultates creuerint, agat Deo gratias, ac simul Deum precetur, ne sibi in spinas & laqueos conuertantur: quod sanè vsu venire solet ijs, qui solidum fiduciæ in Deum fundamentum non iecerunt. Qui enim fiduciam collocant in diuitiarum incertitudinem, naufragium fidei fecerunt, & viua fiducia in Deum vacui sunt.

Consilio proinde Dauidis obtemperet pastor. Si affluent, inquit, diuitiæ, noli cor apponere,

F

Est

Est itaq; PRAECIPVVM, ne diuitiarum huius seculi cupiditate ducatur pastor.

DEINDE, ne ijs animum aut fiduciam adijciat.

TVM, vt pro ijs gratias datori agat.

PRAETEREA, vt eas nec auarè cumulet ac retineat, nec prodigaliter effundat: sed eas dispenset, iuxta regulam fidei, & charitatis.

POSTREMO, vt sit paratus eas à se abdicare, quoties Deo libuerit.

LIBERALITAS IN PAUPERES.

DE officio pastoris quantum ad curam eleëmofynarum attinet in vsus pauperum, suo loco dicitur: Hic tantum de eleëmofyna ac liberalitate agam, quam ipse de suo faciet, & præstabit egenis. Nam & pastor communi præcepto subest, quo iubemur esse liberales erga pauperes.

Præceptum autem hoc est: Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domum tuam. Si videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Et peculiariter Paulus præcipit suo pastori, vt sit hospitalis, seu, vt in Græco est, φιλόξενος: hoc est, amanter complectens peregrinos, eos fouens, ac recreans suis facultatibus.

Vt

V
litate
ni ele
causæ
dandi
berali
Ca
ad libe
& vari
P R
rit, vt
Nunc
cipuis e
dare po
commu
S E
sapius
repetit
as, pan
synam,
ius mar
29. Pro
perem
tas eu
T
Abrah
rum.
testatu
regrin
cap. 3

Vt autem meus pastor magis ad liberalitatem excitetur, huc adjiciam quæ in omni eleëmofyna spectanda sunt: vt sunt, causæ eleëmofynæ, affectus dantis, modus dandi, fines & præmium eleëmofynæ, liberali pectore præstitæ.

Causæ quæ impellent pastorem nostrum ad liberalitatem erga egenos, sunt multæ & variæ, quarum nonnullas recitabo.

PRIMA. Christiana professio requirit, vt abundent pij in omni opere bono. Nunc autem eleëmofyna est vnum ex præcipuis operibus, quibus proximo commodare possimus, quare pastor sciat se huic communi legi subesse.

SECUNDA. Mandatum Dei, quod sæpius in propheticis & apostolicis literis repetitur. Frange esurienti, inquit Esaias, panem tuum. Christus: Date eleëmofynam, ac ecce omnia munda vobis. Huius mandati admonet nos Syracides cap. 29. Propter mandatum, inquit, assume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum.

TERTIA. Exempla sanctorum, vt Abraham patris nostri, & aliorum multorum. Iob de sua erga pauperes liberalitate testatur, cum ait: Foris non permansit peregrinus. Ostium meum patuit peregrino, cap. 31.

F 2

Q V A R -

QVARTA. Eleemosynæ puræ æstima-
tio apud Deum, 2. Corinth. 9. λειτουργία di-
citur. ad Hebr. 13. θυσία, hostia, appellatur.

QVINTA. Proximus ipse, qui caro tua
est. Propheta dicit: Et carnem tuam ne de-
spexeris. Qui enim indigentem proximum
non iuuat, se omni charitate vacuum osten-
dit. Huc illud Ioannis dictum: Qui ha-
buerit substantiam mundi, & viderit fra-
trem suum necessitatem habere, & claufe-
rit viscera sua ab eo, quomodo charitas
Dei manet in illo?

SEXTA. Cogitatio pœnæ eorum, qui
non tanguntur calamitate egenorum.

Primum enim, incurrunt in iram Dei.
Ab inope, inquit Syracides, ne auertas o-
culos tuos propter iram. Deinde, maledi-
ctioni pauperum subiacent, iuxta illud:
Maledicentis tibi in amaritudine animæ
exaudiatur deprecatio eius. Præterea, si
imploranti te non succurris, idem à Do-
mino expectabis. Prouerb. 21. Qui obturat
aures suas ad deprecationem pauperum,
ipse clamabit & non exaudietur. Adhæc,
Impius in pauperes spoliabitur donis quæ
habuit, iuxta illud: Non habenti aufere-
tur ab eo quod habet: hoc est, ei, qui non
vtitur donis Dei rectè iuxta voluntatem
Dei, auferuntur ei dona. Exempla multa
suppe-

supp
riem
catio
uiter
malu
quæ i
crude
do au
tem ex
stor fir
egenor
Aff
& cast
Eia: qu
pti bor
minab
Ar
amore
Hilare
luceat
In
quanti
homi
Q
regul
abun
parti
& fac
tus e

suppeditant historiæ, & quotidiana experientia. Prouerb. 3. Qui despicit deprecationem pauperis, patietur inopiam. Breuiter, cum ira Dei & maledictione omne malum coniunctum est. Omitto pœnam, quæ in posteritatem extenditur. Qui enim crudelis est in pauperes, eius liberi aliquando aut mendicabunt, aut aliam calamitatem experientur. His causis perpensis, pastor sit pro ratione suarum facultatum in egenos & exules liberalis.

Affectus dantis eleemosynam, sit purus & castus, non infectus hypocrisi aut *νενοδοξία*: quæ vicia, omnia opera, ratione præcepti bona, inficiunt, ita vt habeantur abominabilia in conspectu Dei.

Ardeat itaque affectus, amore Dei, & amore proximi: sit hilaris animus dantis. Hilarem enim datorem diligit Deus: præluceat fides: sit scopus gloria Dei.

In modo eleëmofynarum spectentur, quantitas, *ισότης*, æstimatio dati, discrimen hominum, dominium dantis.

Quantitas eleëmofynam moderetur ad regulam. Tobix 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, si parum, libenter impartiri stude. Et 2. Corinth. 8. Nunc vero & facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita & perficiendi

ex eo quod habetis. Etenim si prius afsit promptus animus, is acceptus est pro eo, quod habet aliquis, non pro eo quod non habet.

Idem requiritur etiam in modo eleëmofynæ, iuxta illud 2. Cor. 8. Sed pari conditione hoc tempore, abundantia suppleat illorum defectum, vt & illorum abundantia vestrum defectum suppleat, vt sit æqualitas: quantum quidem ad vsum attinet, non quantum ad possessiones. Hæc æqualitas non requirit paria pro paribus ab eo, cui das eleëmofynam: sed spectat symmetriam totius corporis Ecclesiæ. Hæc enim est in Ecclesia iuris analogi ratio, vt dum vtrò citròq; singuli inter se communicant, pro mensura donorum & necessitatis, ex mutua collatione efficiatur apta symmetria, tametsi alij plus, alij minus possideant, & distributa sint inæqualiter dona.

Aestimatio datæ eleëmofynæ, non pendet ex doni magnitudine, sed ex animi liberalitate: vt vidua quæ misit in Gazophylacium duo æra, præfertur à Domino ijs, qui maximas donationes obtulerunt. Si enim afsit promptitudo, ex eo quod quis habet acceptus est.

Discrimen quoq; oportet habere hominum, in quos eleëmofyna eroganda est. Et si enim omni indigenti succurrendum est, iuxta

iuxta
disce
hoste
mem
lam P
simus
erga
mesti
in qua
Eccle
dem n
charac
mines
dum, r
nium
benefi
uertar
Qu
quod i
teneat
te, iux
deriue
esto.
ptum
qui v
hoc e
tantu
F
hi.

iuxta parabolam de Samaritano: tamen discernendum est inter domesticos fidei, & hostes religionis. Illis quidem, ut Christi membris, primum est dandum, iuxta regulam Pauli Galat. 6. Dum tempus habemus simus benefici erga omnes, maximè verò erga domesticos fidei. Vocat autem eos domesticos fidei, qui per fidem sunt in eadem, in qua nos, familia Domini: Hoc est, in Ecclesia, eundem Christum, & eandem fidem nobiscum profitentes. Est enim fides character familiæ Dei. His vero, quia homines sunt, suo quoque loco est succurrendum, ne fame & nuditate pereant. Sed omnium primum inchoandum est à summo beneficio, ut tuis precibus & doctrina convertantur ad Deum.

Quantum autem ad dominium attinet, quod in modo etiam spectandum dixi, hoc teneatur præceptum. Dominium sit penes te, iuxta Salomonis consilium: Fontes tui deriuentur foras: & tu Dominus eorum esto. Idem requirit septimum legis præceptum. Pessimè ergo faciunt Anabaptistæ, qui volunt æqualitatem bonorum ἐκτίσει: hoc est, in possessione: cum eam Paulus tantum requirat in χήσει, hoc est, in usu.

Fines eleëmofynæ pastoris debent esse hi.

PRIMVS. Gloria Dei. Hanc enim in omni opere nostro principaliter spectare oportet. Iste erit scopus omnium nostrarum actionum, vt paulò antea admonui. Debes ergo non tuam gloriam quærere, vt prædiceris ab hominibus liberalitatis nomine, sed Domino da gloriam, qui te œconomum fecit, vt iuxta ipsius verbum dispenses quæ dedit.

SECUNDVS finis, est relaxatio inopiæ proximi, quem non ex specie, quæ incurrit in oculos, æstimabis, sed ex ea quam intus gerit, qua refert imaginem Dei, & est membrum eiusdem corporis tecum, cuius caput est Dominus noster Iesus Christus.

TERTIVS finis, esse potest prouocatio aliorum ad similem erga egenos liberalitatem. Huc Christi dictum Matthæi 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum qui est in cœlis. Et illud Pauli 2. Cor. 9. Et ex vobis zelus prouocauit complures.

Quòd autem Christus dicat, Matth. 6. Non nouerit sinistra tua quid faciat dextra: non hoc vult vt nemo te videat liberalem esse erga pauperes, sed vt non, sicut hypocritæ faciunt, quæras tuam laudem & gloriam.

Præmi-

Præmium eleëmofynæ, liberali pectore præstitæ, est multiplex. 2. Cor. 9. promittitur vt liberales in pauperes, in omne opus bonum abundant. Ita enim clementissimus Pater rectum vsum vnus doni, compensat multis nouis donis, iuxta illud Matth. 6. Dominus dabit mercedem in propatulo. Et Psal. 41. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus. Salomon: Fœneratur Domino qui miseretur pauperi, & vicissitudinem suam reddet illi. Paulus 2. Cor. 9. Qui seminat in benedictionibus, in benedictione & metet: hoc est, qui benignè liberalis est, benignitatem consequetur. Esaia 58. Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt vt meridies, & requiem tibi dabit Dominus Deus tuus semper.

T O T I V S D O M V S P A S T O R I S
P R E C A N D I R A T I O E T
T E M P V S .

Q V O T I D I E manè fiat in ædibus pastoris precatio, præsentibus vxore & liberis cum ipso pastore.

Pueri PRIMVM alta voce recitent Catechismum, hoc ordine.

F 5

Pri-

Præmi-

Primum, Decalogum.

Deinde, Symbolum Apostolicum.

Tertiò, verba institutionis baptismi.

Quartò, verba cœnæ.

Postremò, Dominicam orationem, idque flexis genibus & complicatis manibus, vt in conspectu Dei.

DEINDE sequatur vxor eodem modo.

Quod vbi factum fuerit, addat pastor exhortationem ad vxorem & liberos, vt diem istum transigant in timore Dei, scientes se ambulare coram oculis Dei.

A D H A E C precentur pueri, ante prandium, & post prandium, ante cœnam, & à cœna.

Ituri cubitum, rursus recitent, vt manè, totum Catechismum. Quo factò pater commendet ipsos. Deo breui oratione.

Hoc ipsum, quod de pueris dixi, optarim etiam in reliqua familia fieri. Neq; deberet hîc auaritia pastorum tanta esse, vt hoc pijsimû familiæ exercitiû negligenter. Verum si hoc impetrare non possum à meo pastore, hoc saltem iure peto, vt omni Sabbatho vesperi examinet suam familiam, & audiat singulos recitare doctrinam Catechismi: diebus quoq; Dominicis & festis exploret, quid vxor, quid liberi, quid reliqua familia didicerit ex Euangelica lectione,

tion
H
te no
quom
am pi
omni
nus n
pasto
oratio
P
Q
mine
test: t
vxore
tion
ego,
cundu
offici
scis, n
curi f
cum
labor
igitu
stes
sanct
tuo
in f
Fiat

atione, quæ eo die est proposita.

Hæc breuiter sint dicta de secunda parte nostræ instructionis, in qua exposuimus, quomodo pius pastor debeat suam familiam piè & sanctè administrare. Verum quia omnis labor noster inanis est, nisi Dominus nobiscum operetur, velim vt quotidie pastor suam Deo commendet familiam hac oratione.

P R E C A N D I F O R M V L A.

QVONIAM nulla domus nisi te, Domine Iesu Christe, conseruante, stare potest: te supplex rogo, vt domum meam, vxorem, liberos, & familiam, tua protectione conseruare digneris. Da, quæso, vt ego, vxor mea, liberi, ac tota familia secundum tuam voluntatem, singuli nostrum officium faciamus. Cum enim tu nos pacis, nihil nobis deest: cum tu nos regis, securi sumus, & nemo nobis nocere potest: cum tu nos laborantes adiuuas, fructum laborum percipimus vberrimum. Nobis igitur adesse digneris: pelle Diabolos, hostes ordinationis tuæ: da nobis custodes, sanctos tuos angelos: ac rege nos semper tuo spiritu, vt perpetuò te in hac vita, & in futura celebremus, Amen, Amen:
Fiat, Fiat.

D E

DE TERTIA PARTE,
DE CONVERSATIONE PASTORIS POLITICA,
& externa.

AUTOR Epistolæ ad Hebræos ait: Confidimus quod bonam habemus conscientiam, in omnibus cupientes honestè conuersari. Permagni enim refert, qualis sit pastoris conuersatio: quæ si fuerit honesta, & congruat cum sana doctrina, utraq; manu putandus est ædificare Ecclesiam Dei, hoc est, & sana doctrina, & honesta vita. At si conuersatio cum doctrina pugnat, quod dextra manu, hoc est, doctrina, extruit, id sinistra, hoc est, mala vita, destruit, & demolitur.

Volo igitur disciplinæ publicæ conuersationis præcepta, meo pastori præscribere. Ut in singulis partibus habeat quid sequatur.

Præcepta generalia multa extant, quæ præcipiunt sanctam & honestam conuersationem, ut benè audiat verbum: & prohibent malam conuersationem, ne verbum malè audiat apud hostes doctrinæ. Et Paulus vult, ut in tota vita ita agamus, ut retineamus fidem & bonam conscientiam: quam qui repudiant, naufragium circa fidem fa-

dem faciunt. Huc & illud Domini dictum: Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Per prudentiam (vt pius quidam interpretatur) caput saluum seruate: per simplicitatem, castos mores amate. Serpentes sitis, in cauendis malis: columbæ in simplicitate morum, & vitæ innocentia. Per prudentiam deuitate falsam doctrinam: per simplicitatem deuitate mala opera hominum. Huc & illud Christi ad Apostolos, quibus pastores succedunt: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui est in cœlis.

Cur autem pastoris vita & externa conuersatio, sit maiori cura regenda, ipse Dominus rationem reddit, Matth. 5. his verbis: Vos estis sal terræ. Item: Vos estis lux mundi. Et Paulus: Esto typus fidelium, in sermone, in conuersatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate. Et ad Titum 2. Te ipsum præbe typum bonorum operum.

Huiusmodi præcepta passim occurrunt, quæ à pastoribus requirunt sanctam & honestam conuersationem, & pacificam cum omnibus hominibus vitam.

Verum quia hæc generalia dicta, non possunt à quouis rectè accommodari ad singu-

D R E.

A R T E,
O N E P A-
R I C A,

Hebræos ait:
nam habemus
upientes hone-
im refert, qua-
: quæ si fuerit
sana doctrina,
ædificare Eccle-
doctrina, & ho-
o cum doctrina
, hoc est, doctri-
oc est, mala vita

z publicæ conuer-
pastori præscribe-
s habeat quid se-

ita extant, quæ
estam conuersa-
rbum: & prohibi-
em, ne verbum
doctrinæ. Et Pau-
gamus, vt reti-
conscientiam:
ragium circa fi-
dem fa-

singulas partes vitæ in externa conuersatione, volo ea singulis actionibus particulatim accommodare, & ostendere, quid in vita communi, quid in cœtu Ecclesiastico, quid in consilijs & deliberationibus spectandum sit. De his tribus capitibus, eo quo proposita sunt ordine dicam.

QVID IN VITA COMMUNI
SPECTANDVM SIT
PASTORI.

HOC CAPVT etiam dispertiamur in plures partes, vt, veluti in anatomia, singula conspiciantur distinctius. In vita itaque communi sciat pastor quomodo cum maioribus, paribus, & inferioribus agendum sit, vt honesta cum illis & laudabilis sit eius conuersatio: sciat quoq; qualis adhibenda sit moderatio in vestitu, gestibus, verbis, cibo, & potu, seu in conuiujs, vbi inuitatus fortè fuerit: sciat præterea, qualis in contractibus candor requiratur. His explicatis qualis debeat esse conuersatio pastoris, quantum quidem ad communem vitam attinet, constabit.

Quomodo ergo cum maioribus, paribus, & inferioribus aget pastor? Quoties cum maioribus in congressu siue colloquio agendum est, habere oportet pastorem, rationem

tionem & dignitatis & ætatis eorum, cum quibus agit.

Si in dignitate aliqua constituti sunt natu grandiores, vt superiores omnes, tribuendus est illis honor quem lex præcipit: Honora præpositos tuos. Hoc est, ijs qui tibi in aliquo dignitatis gradu constituti præfunt, honorem debitum exhibe. Hic non spectanda est personæ qualitas, sed officij dignitas. Reddat igitur pastor magistratui ciuili, Regi, Præfectis, Consulibus, & alijs qui publico magistratu funguntur, debitum honorem, idq; corde, verbis, & corporis gestu.

Qui in nulla dignitate sunt, sed tantum ætate antecedunt, vt patres sunt complectendi: & patrum nomine, si nulla laborant infamia, compellendi. Ita enim præcipit Paulus suo Timotheo, 1. Timoth. 5. Seniore[m] ne increpaueris, sed obsecra vt patrem.

Hæc comis & affabilis cum maioribus conuersatio, conciliat pastori hominum animos, facitq; vt libentius audiatur, vbi ad ea, quæ officium pastoris concernunt, ventum fuerit.

Verum contrà cum pastor nec magistratum honorat, nec ætatem reueretur, odiosus redditur omnibus, & sua temeritate animos

animos hominum à se alienat, & in suspicionem & notam superbiæ incurrit: quod ubi factum fuerit, actum est postea de toto ipsius ministerio.

Quando cum iunioribus agendum est, eadem spectanda sunt, dignitas & ætas.

Si in dignitate aliqua est iunior ætate, præstetur ei debitus à pastore nostro honor & reuerentia, nulla habita ætatis ratione, sed officij, cuius causa honorādus est.

Si absq; dignitate publica aliqua uiuit, fraternum affectum erga ipsum declarabis, ac non secus quàm fratrem tractabis. Hoc quoq; præceptum Pauli est 1. Timoth. 5. Iuniores, inquit, vt fratres. Hæc pia & blanda compellatio, animos iuniorum ad mutuum amorem flectit.

Si agendum est cum mulieribus grandioribus natu, tractandæ sunt vt matres blandè & ciuilitè.

Si cum iunioribus, tractandæ sunt vt sorores.

At si cum pueris, eos excipias filiorum & filiarum compellatione.

His humanitatis testimonijs, in congressu quotidiano conciliabit sibi pastor bonorum animos, & parabit sibi viam & autoritatem, ad ea demum cum fructu agenda, quæ ad officium ipsius pertinere videbuntur.

Hæc

Hæc ideo breuius à me dicta sunt, quia melius in laudatis exemplis conspiciuntur quotidie.

Sequitur de moderatione seruanda pastori in vestitu, gestibus, verbis, cibo, & potu, si forte ad bonorum honesta conuiuia vocatus fuerit. Nam in his requiritur singularis disciplina: præsertim in hac morum corruptione, quando disciplina est magis quàm oporteret laxata, & languidior natura.

Vestitus pastoris, grauitatem & modestiam præ se ferat: sicut decet ministrum Dei. Cogitet pius pastor de primorum parentum primis vestibus, vt inde admoneatur humilitatis & timoris Dei.

Adam innocens, nudus incessit: postquam autem lapsus fuit in peccatum, turpitudine animi in corpore reliquit vestigium, quam folio fici tegere conatus est. Verum quia oculos Dei fallere non potuit, obiurgatur primùm: deinde, data promissione seminis, noua à Deo donatur veste, nempe pellicea: quæ typus fuit vestis, qua agnus Dei tegit hominum peccata.

Hinc pastor cogitet, vestem qua tegitur, symbolū esse, cum peccati, tum gratiæ. Prima vestis peccati nos admonet, secunda gratiæ, modò gratiæ vestem induamus.

G

Quoti-

Quoties igitur pastor manè se induit, humiliet se coram Deo, cogitans se lapsum fuisse in Adamo, & peccatum non potuisse tegi folio fici, hoc est, industria & arte hominis. Deinde cogitet de filio Dei, qui nos sua innocentia tegit, in cuius rei typum olim pellicæ vestes datæ sunt primis parentibus.

Si hæc prudens pastor cogitauerit, facile intelliget, quid in veste deceat, & quid non.

His nihil adijcerem, nisi viderem mores quorundam pastorum nimis leues esse: qui nec quid natura, nec quid sua conditio requirat, perpendunt.

Bernhardus conqueritur, suo tempore multos magis studuisse cultui vestiũ, quam virtuti. Id nos longè rectius conqueri, imo deflere possemus. Nam illa disciplina quæ Bernhardi adhuc tempore vigit, prorsus est abolita. Videmus enim, in nullo hominum ordine, seruari istam veterem in vestitu grauitatem: sed quotidie novas vestienti formas excogitari, quibus proditur animi inconstantia, & leuitas: & ostenditur quòd mascula illa virtus, extincta iam sit, quæ fuit in nostris maioribus.

Sed de his frustra conqueror. Vix enim sperandum est, vt reuocet mundus pedem,
ab ista

ab ista sua leuitate & inconstantia : præfer-
tim cum iam natura est languidior , & dis-
ciplina , vt dixi , dissolutior.

Etsi autem parum me effecturum , hac
nostra de vestitu instructione confido : ta-
men spero bonos meum consilium non con-
tenturos. Dicam igitur quid sentiam.

In veste consideranda sunt duo : τὸ ὀρέ-
πον personæ , siue decorum , & Vfus vestis .

Τὸ ὀρέπον seu decorum , est vt pastor co-
gitet quid se deceat pro suæ personæ condi-
tione . Aliud est τὸ ὀρέπον militis , aliud
nautæ , aliud mulieris , aliud nobilis , aliud
ciuis , aliud rustici , aliud pastoris : & quod
vni est ornamento , alij sæpe dedecori est.
Tantum valet decorum personæ .

Militi conuenit , vestem gestare breuis-
simam , & iam in hac morum corruptione
non datur apud multos vicio , si vela cali-
garum infra genua se etiam extendant .
Hic si oblonga vteretur veste , meritò se
alijs deridendum propinaret .

Nautæ congruit , laxas & dependentes
gestare caligas , & veste talari absq; omni
plicatura vti . Hic si militis vestem sume-
ret , τὸ ὀρέπον suæ personæ non seruaret : ni-
si fortè leuitas isti generi hominum deco-
rum afferat .

Mulieri nobili si sinuoso syrmate terram

G 2

verrit,

verrit, hodiè non datur vicio. Si idem faceret pastoris vxor, maximum probrũ esset.

Cum nobilis se catenis aureis & annulis ornat, maximè si in senatu sit Regni, aut eques auratus, (nam aliorum luxui patrocinari nolo) decorum suæ personæ seruat: quod nec Deo, nec hominibus (modo absit animi superbia) displicere potest. Idem si imitaretur ciuis aut rusticus, quid magis culpandum?

Ita ciuis, rusticus, artifex, &c. decorum in vestitu conueniens suæ personæ seruantes, laudantur. Qui contrà faciunt meritò ridendi sunt.

Ad eundem modum, imò multò magis decet pastorem, vt seruet decorum, suæ personæ & officio conueniens.

Relinquat igitur militi vestem nates non tegentem, velaq; caligarum: relinquat aulico acuminatos illos & oblongos pileos: relinquat nautis, suos pannos: relinquat nobilibus matronis sua sfirmata, suas catenas, holosericum, margaritas, annulos, & reliquum ornatum, qui iam penè maior est, quàm vt stulticia & leuitas mundi aliquid adijcere possit. Relinquat & ciuibus suum decorum.

Quid ergò à pastore requiris? τὸ ἄριστον.

Quodnam est illud? Hoc situm est in vestis

vestis forma, precio, & colore.

Formam appello, decentiam quandam conuenientem grauitati personæ: (vt quæ sit constantiæ & Christianæ humilitatis indicium) vt vestis nimis non diffluat, nec nimis sit stricta, nec quolibet alio modo ad vanitatem parata. Corona indusij non feriat occipitium, vt in multis videmus. Manicæ non sint sectæ transuersæ, & rursus filis sericis connexæ. Caligæ non sumtuosæ, nec velis, quæ sunt leuitatis symbola, defluentes. Breuiter, forma vestium componatur ad grauitatem, constantiam, humilitatem, iuxta laudatorum pastorum exempla: & summo studio caueatur luxus.

Precium etiam in decoro seruandum est, de quo facile erit statuere, modò superbia de mente exulat, & ibi vera & Christiana humilitas locum habet. Petrus vestes nimis preciosas in scæminis reprehendit, quis ergo eas in ministro verbi feret? Quare relinquat pastor alijs holosericum, vndulatum pannum, & alia quæ ad pompam & ad superbiam facere videntur.

Postremò, color in decoro spectandus est. Nec alba, nec rubra, nec viridia, nec cærulea congruunt pastori, sed nigra potius aut alius coloris, qui minimè ad pompam facere videtur. Verum hîc consuetu-

do & laudata exempla adhibeantur in consilium. Aurum, argentum, vniones, & preciosos lapides relinquat pastor alijs: hæc enim ipsum non ornant, sed turpiter fœdant, & alijs deridendum propinant.

Verum hic quæri potest de gradibus ministrorum, alij sunt superintendentes, alij præpositi, alij pastores, alij facellani vt vocant: an non igitur decorum in his gradibus seruandum? Respondeo. Si sunt omnes pastores vt audire volunt, studeant se inuicem antecellere, virtute, pietate, laboribus in officio, vera humilitate, & mutua beneuolentia, & non quærant sibi auctoritatem, auro, gemmis, preciosis vestibus, annulis aureis, &c. Hoc consilium diui Iacobi est, quod meo etiam pastori commendatum volo.

Hæc sint de vestibus pastoris & ornatu dicta, iuxta τὸ ὀρέπον personæ.

Sequitur Vfus, qui est duplex.

PRIMVS, vt tegat corpus, & eas partes quas natura iubet tegere.

SECUNDVS, vt arceat frigus.

Sed huic duplici vsui ita accommodanda est vestis, ne violetur τὸ ὀρέπον.

Monachorum & Eremitarum impia somnia detestamur, qui religionis non minimam

nim
ritie
G
nebo
fente
scitur
datus
duer
indic
quod
na co
dit. I
tiz, g
rum e
stote
tion
cia e
V
form
ferue
com
Sing
offic
DV
ter e
actio
iam
plen
stus

nimam partem in forma, vilitate, & duritie vestis collocarunt.

G E S T V S sequuntur, de quibus admo-
nebo breuiter. Syracides cap. 19. in hanc
sententiam ait: Ab aspectu quisq; cogno-
scitur, & ex vultus obiectu intelligitur cor-
datus. Suus cuiusq; habitus, ac rictum di-
ducens risus, incessusq; hominis qualis sit
indicant. Hac sententia significat sapiens,
quod vt quisq; animo est affectus, ita exter-
na corporis conformatione maximè osten-
dit. Hinc multa indicia prudentiæ, stulti-
tiæ, grauitatis, leuitatis, cæterorumq; mo-
rum & motuum animi. Quare oportet pa-
storem, gestuum corporis singularem ra-
tionem habere. Gestus enim externi & vi-
cia animi produnt, & virtutes indicant.

Vt autem gestus eò rectius à pastore
formentur, duo tradam præcepta, quæ si
seruentur, gestus videbuntur ad virtutem
compositi. P R I M V M præceptum fit.
Singula membra corporis suum teneant
officium, neq; vsurpent alienum. S E C V N-
D V M, Singula membra suum opus decen-
ter & modestè perficiant. Nam si membra
actiones suas & officia confundunt, aut et-
iam id quod iustè agere debent non ex-
plent, viciosus redditur & culpabilis ge-
stus. Hinc est quod Salomon inquit: Homo

apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pedibus, loquitur digito, prauo corde machinatur malum.

Oculorum ergo fit *PRIMA* disciplina, vt illi modestiam singularem præ se ferant. Conditum enim sunt oculi vt eis videamus: hoc munere fungantur decenter.

SECUNDA, fit faciei seu vultus. Nam cum facies disciplinæ sit speculum, temperanda est & moderanda in gestu suo, vt nec proteruè exasperetur, nec molliter dissoluatur, sed habeat semper rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem.

TERTIA sit cæterorum membrorum, videlicet vt singula suis fungantur officijs, nec munera confundant. Vt autem quid velim melius intelligatur, exempla subiiciam, quibus peccatur contra nostram regulam.

Sunt quidam, qui nisi buccis patentibus auscultare nesciunt, & quasi per os sensus verborum ad cor descendere debeat, palatum ad verba loquentis aperiunt. Nonnulli in agendo vel audiendo, quasi canes sitientes linguam protendunt, & ad singulas actiones velut molam labia torquendo circumducunt. Alij inter loquendum digitos scalpunt, supercilia erigunt, & oculos in orbem rotantes ineptiunt. Sunt qui rem aggressuri caput iactant, comam

mam excutiunt, vestimenta expandunt. Haud pauci quasi ambæ aures ad audiendum factæ non sint, alteram tantum collo detorto, voci venienti exponunt. Inuenias quosdam qui inter loquendum, vno oculo clauso alterum apertum habent. Nec defunt qui dum fari incipiunt, corrugant nares. Multi adeo inepti sunt, vt incedentes nauigent brachijs, volent corpore, ac triforme monstrum vno eodemq; tempore exprimant. Pedibus enim deorsum dum in terra ambulant, lacertis remigant, & corpore in aëre volant. An non hoc monstri simile, fingere in se simul & hominis incessum, & nauis remigium, & auis volatum. Quid referam illos qui scapulas inter eundem erigunt ad aures ferè vsq;.

Quid dicam? mille sunt laruæ hominum vanorum, qui fœdè inter loquendum, audiendum, incedendum, cubandum, & quiduis agendo leuitatem animorum produnt.

Ab his turpibus gestibus, quorum alij lasciuiam, alij negligentiam, alij pigritiam, alij inconstantiam, alij superbiam, alij iracundiam, alij leuitatem declarant, cupio vt abstineat pastor, ac in omnibus actionibus naturam ducem, & exempla bonorum virorum, quorum mores sunt laudabiles, imitetur. Iam ad disciplinam verborū veniamus.

De sermone Paulus in hunc modum præcipit. Ephes. 4. Nullus sermo putris ex ore vestro egrediatur, sed si quis est commodus ad ædificationem quando opus est, vt gratiam auditoribus afferat. Et ad Colos. 4. Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus, vt sciatis quomodo oportet cuiq; respondere. Ex his Pauli verbis quinque licebit colligere sermonis præcepta. Quorum primum continet qualis sermo sit vitandus. Secundum, qualis sermo diligendus. Tertium, quale condimentum sermonis sit adhibendum. Quartum, quibus accommodandus sit sermo. Quintum, quis sit sermonis finis. De quibus ordine dicam.

Qualis, quæso, sermo est vitandus? Putris, hoc est, talis, à quo aut nullus fructus, aut malus certè expectandus est. Ex scurrili sermone & insulso nullus fructus prouenit. Scurrilitas impudentiam, & vanitatem habet coniunctam. Insulfitas verò, stupor est nimius, & indignus homine. Inter hæc duo vicia Philosophi collocant medium, quod est lepos, qui est in sermone hilaritatis & asperitatis moderatio. Ex sermone obscæno, iactabundo, virulento, sycophantico, & falso, pessimus nascitur in auditoribus fructus. Quare pastor
in quo-

in q
hui
com
opus
aut n
dictu
citur
potet
rum
Ab il
bonu
pastro
do qu
Q
uio,
quer
tio n
verfu
hoc e
lius,
C
tum
femy
re fi
niat
it, c
dior
hol

in quotidiano congressu hominum, fugiat huiusmodi sermonem.

Qualis sermo est deligendus? Bonus & commodus ad ædificationem, quando est opus. Vt enim putris sermo dicitur, à quo aut nullus aut malus fructus prouenit, vt dictum est: ita commodus seu bonus is dicitur, à quo fructus ædificationis sperari potest. Alludit apostolus ad arbores, quarum aliæ sunt putres, aliæ bonæ & integræ. Ab illis aut nullus aut malus, ab his semper bonus fructus expectatur. Cogitet ergo pastor, tum demum loquendum esse, quando quod dicat facit ad ædificationem.

Quidam cum interrogaretur in conuiuio, cur non loqueretur alijs omnibus loquentibus: Quia, inquit, nihil habeo silentio melius. Et apud Euripidem extat hic versus: ἢ λέγε τι κρεῖττον σιγῆς ἢ σιγὴν ἔχει, hoc est, aut loquere quicquam silentio melius, aut tace.

Quale debet esse sermonis condimentum? Respondit Paulus: Sermo vester semper cum gratia sit sale conditus. Quare sic? Ne corruptionis odor ad alios veniat. Veteribus sal amicitiae symbolum fuit, durationis gratia. Corpora enim solidiora facit, & diutissimè conseruat: vnde hospitib. ante alios cibos apponi solitū, quo
ami-

amicitiæ firmitas ac perseuerantia significaretur. Quare pleriq; ominosum habent, si sal in mensam profundi contigerit : contra verò faustum, si vinum atq; id merum effusum sit. Hinc intelligi potest condimentum salis eò spectare, vt sermo sit solidus, non leuis, aut inconstans : sit sapidus, non insulsus aut ineptus : sit custodia ac conseruatione dignus, non dignus vt vnâ aurem ingressus abeat per aliam.

Breuiter sermo sale conditus, significat sermonem à recto iudicio profectum, tempestiuè enunciatum, & commodè rebus de quibus agitur applicatum.

Est & dignum memoria, quòd vetustas discernat salem candidum à nigro, & candidum dicit esse Mercurij, vt sunt dicta, quæ beneuolentiam augent. Vt Alexandri dictum : Regium est beneficientem ferre maledicta. Nigrum autem salem dixerunt esse momi, vt sunt venenatæ reprehensiones. Hunc salem Momi vult Paulus abesse, cum dicit : Cum gratia sit sale conditus sermo. Alludit enim ad cibos, qui tum demum grati sunt, quando nec insulsi sunt, nec falsissimi. Huc illud Pythagoricum pertinet : Salem ne transgrediaris.

Quibus accommodandus est sermo ? Auditoribus, inquit Paulus. Inciuile enim est ver-

est
scul
peri
dem
nig
S
Dup
tia,
D
opor
entia
qui le
loqui
Q
hoc p
cit ci
facil
inde.
Q
ex cor
sità re
tentil
medi
sus r
alite
gisse
Hac
dent
orat

est verba profundere, vbi nullus est qui auscultat. Inciuilius adhuc loqui, vbi omnia perstrepunt clamoribus. Quare pastor tum demum loquatur, vbi auditores aures benignas & patentes præbent.

Sed quis huius sermonis conditi finis? Duplex finis in Paulo proponitur, Scientia, & Gratia.

De scientia ait: Vt sciatis quomodo oporteat cuiusque respondere. Hæc ergo scientia duo continet commoda, vnum eius qui loquitur, alterum eorum cum quibus loquitur.

Quantum autem ad illum qui loquitur, hoc percipitur commodum. Qui se assuefacit circumspicere sermonibus, non incidit facile in multas absurditates, in quas subinde labuntur homines loquaces & garruli.

Quantum autem ad auditores attinet, ex continuo vsu acquireret sibi rectè & appositè respondendi peritiam. Aliter enim potentibus mundi est respondendum, aliter mediocribus, aliter humilibus: aliter rursus mansuetis, aliter iracundis. Nathan aliter agit cum Dauide adultero, quàm egisset cum stabulario, eiusdem sceleris reo. Hæc non adulationis sunt indicia, sed prudentiæ signa & modestiæ, quæ præcipuè in oratione pastorum requiruntur.

Grati-

Gratiam præterea requirit Paulus in sermone, ne dicacitate & scurrilitate auditoribus simus molesti, sed potius ut eò nostrum dirigamus sermonem, ut pium fauorem & benevolentiam nobis conciliemus, ac ea quibus gratia nobis piè accedit, cum omni modestia dicamus: ita tamen ne huius gratiæ prætextu officium quod sæpe requirit asperiores sermonem, negligamus.

Dixi ex Pauli sententia quid sit in sermone vitandum, quid sectandum, quale condimentum adhibendum, quibus accommodandus sermo, & qui sint sermonis fines. Nunc autem quò plenior sit sermonis disciplina, distinctionem eorum, quæ ad sermonem requiruntur, cum breui declaratione, subiiciam.

In sermone itaque hæc sunt obseruanda. Quid, cui, ubi, quando, & quomodo dicatur.

Quid autem dicendum sit, primum hac generali distinctione discernatur. Noxia, inhonesta, inutilia, nunquam dicantur à pastore: Contra quæ profunt, & quæ sunt honesta, & utilia prudenter dicantur.

Noxia voco, quæ animos auditorum, vel in errorem, vel in prauitatem perducunt, vel etiam quæ aliorum famam lædunt.

Inhonestam appello, quæ vel illius qui loquitur,

quitur, vel illorum, quibus fit sermo, vel absentis dignitati non conueniunt.

Inutilia sunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus profunt.

Contrà profunt, quæ vel ab errore liberant, vel à prauitate abducunt, vel alienæ famæ parcunt.

Honestæ sunt, quæ dicentis, audientis, & absentis dignitati congruunt.

Vtilia, quæ profunt, & aliquid commodi afferunt auditoribus.

Deinde, Cui dicatur obseruandum. Nam qui narrat verbum non audienti, quasi excitat dormientem de graui somno. Ideo prudentia singularis etiam hîc adhibenda est, iuxta hanc distinctionem.

Qui cum alio loquitur, primùm consideret, an propter se, vel propter illum loquatur. Si propter se, hoc est, suam utilitatem, utpote doctrinæ, aut consilij causa, videat an ille cum quo loquitur talis sit, qui vel doctrina, vel consilio sibi utilis esse possit. Nihil enim stultius est, quàm à rudi doctrinam, & consilium à stulto petere. Si propter illum, qui audit, loquitur quis, dispiciat an talis sit ille, qui vel suo sermone non indigeat, vel ita malignus, ut oratione melior reddi non possit. Salomon enim dicit: Qui arguit impiũ, generat malum

lum sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem, & diliget te. Item: Doce iustum, & festinabit accipere.

Deinde petiturus consilium ab alio, regulam sequatur, quam præscribit Syracides cap. 37. Ne consilium capias cum muliere de ipsius pellice: de bello, cum meticulofo: de permutatione, cum mercatore: de venditione, cum emtore: de gratitudine, cum homine maligno: de humanitate, cum inhumano: de quouis opere, cum pigro: de perfectione instituti operis, cum annuo mercenario: de opera multa nauanda, cum ignauo seruo: ne attendas his in vlla deliberatione suscepta.

Hic proponit sapiens certa hominum genera, cum quibus non est deliberandum, consiliumque capiendum. Ex quibus regula generalis colligitur: Neminem qui alicuius priuati commodi studijue rationem propositam habet, ea in re de qua deliberandum est, esse in consilium adhibendum. Animum enim omni ira, amore, inuidia, cupiditateque vacuum, consiliarius ad deliberationem afferre debet.

Quare & pastor meus diligenter caueat, ne ab ijs consilium petat, qui affectibus indulgent potius, quam ratione & prudentia consulunt.

Ter-

Tertiò, obseruandum dixi vbi dicatur. Nam non est decorum, quæ ad forum spectant in locis sanctis tractare. Vnde Augustinus in orario nihil agendum esse dicit, præter id quod sacrum est. Pastor igitur in templo loquatur de rebus ad religionem spectantibus: extra templum, cum de religione, vbi res postulauerit, tum de alijs rebus vtilibus. Loca autem in quibus vana, ociosa, & superflua dici debeant, inueniri non possunt, quia Domini est terra & plenitudo eius.

Quartò obseruandum proposui, Quando dicatur. Est tempus tacendi (inquit Salomon) est tempus loquendi. Idem ait: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo, Prouerb. 25. Etsi autem tempus loquendi quod fit, prudens docebit experientia, & experta prudentia: tamen quædam huc ex Salomone & Syracide ascribam dicta.

Salomon dicit: In multiloquio non deërit peccatum: Qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Proinde nunquam est tempus multiloquio. Item: Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa. Item: Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignissimum. Et Syracides:

H

Si est

Ter-

Si est tibi intellectus, responde proximo: sin minus, sit manus tua super os tuum. Idem: Priusquam interrogas, ne vituperes quenquam: & cum interrogaueris, corripe iustè. Priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio seniorum ne adicias loqui. Et rursus Salomon: In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui. Item: Ne contendas cum pessimis, & ne æmuleris impios. Item: Vir sapiens si cum stulto contendere, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.

Hæc de tacendi & loquendi tempore confusus dixi, quia prudens experientia, & experta prudentia, vt dixi, hæc melius docebit.

Restat quod vltimo loco proposui, Quomodo dicatur. Modus autem loquendi, vt ait Gregorius, in tribus consistit. In gestu, in sono, in significatione.

GESTVS sit modestus & humilis. Sonus demissus & suavis. Significatio verax & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, vt nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter loquendum membra moueat, ne vel oculorum nutibus, vel aliqua minus decenti conformatione, siue transmutatione vultus, gratiam sermonis foedet.

scædet. Debet & humilitatem habere gestus loquentis, vt apud auditores gratiam sermo eius inueniat. Thraſonicam in dicentibus arrogantiam, omnes oderunt.

SONVS loquentis sit demissus, ne vel strepitu, vel immoderato clamore auditores suos, aut iniuste terreat, aut iuste offendat. Suavis quoque debet esse sonus, ne pronuntiationis asperitate, tanto fiat animus audientium onerosior, quanto ad aures durior venit, & iniucundior.

SIGNIFICATIO, hoc est, sermonis sensus, ideo debet esse vera, quia fallax verbum, etsi compositè, ornatè, & facundè dicitur, tamen noxium est, ideoque vt primo diuisionis membro diximus, est fugiendum. Debet præterea significatio esse dulcis, quia plerumque & veritas auditori amara efficitur, vbi dulcedo non est in verbis loquentis.

Hæc sint de disciplina sermonis dicta, quæ si pastor obseruauerit, gratiam sibi & amicitiam, & grauitatis laudem sermone suo conciliabit.

Sequitur de disciplina pastoris in conuiuijs seruanda. Etsi præcepta quæ hætenus dedimus, etiam pastorem in conuiuijo gubernare possunt: tamen seorsum hac de re non nihil adijciam. Video enim complures in hac parte grauiter peccare.

H 2

In con-

In conuiujs itaq; spectentur hæc: Locus, tempus, conuiuij genus, conuiuæ, colloquia, edendi, bibendiq; modus, hilaritatis moderatio & morandi tempus. Ad hæc membra referamus præcepta de disciplina pastoris, quam seruandam esse in conuiujs iudicamus.

Locus conuiuij si fuerit obscurus, aut infamis, fugiendus est pastori. Nullo enim pacto decet, vt pastor in tabernis, aut lupanari, aut in hominum infamium domo conuiuiam agat. Nam hac ratione non solum suæ personæ, verumetiam ministerio inureret infamiæ notam, ac ita suam famam periclitari permetteret, & ministerium probro afficeret. Quare si quando ad huiusmodi loca fuerit inuitatus pastor, modestè se excuset, cum declaratione gratitudinis & beneuolentiæ, & simul preceatur, vt conuiuis ipsis cedat conuiuium benè, & caueatur omnis Dei offensio.

Tempus conuiuij sit opportunum. Opportunum dico, quod nec noctu fit, nec tempore sacrorum in templis, nec tempore communis luctus.

Nocturna conuiuia semper fuerunt infamia. Videntur enim potius turpitudinis gratia instituta, quàm honestæ hilaritatis.

Sacrorum tempore celebrata conuiuia,
in con-

in contumeliam cedunt ministerio. Illis ergo interesse debent nulli pij, nedum pastores Ecclesiastici.

Tempore communis luctus conuiujs operam dare, signum est malignæ naturæ, quæ calamitatibus publicis non afficitur. Hoc enim tempore, melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, iuxta Ecclesiastæ sententiam, cap. 7.

CONVIVIORVM genera sunt duo: Honesta & Inhonesta.

HONESTA dico, quæ vel amicitia in eundæ confirmandæue causa, vel honestæ hilaritatis gratia, vel gratulationis ergò, vel moris gentis seruandi causa instituta sunt. Hæc tantisper honesta voco, donec locus & tempus seruantur debita, & non iustæ hilaritatis modum conuiuæ transgrediuntur. Conuiuia amicitia causa instituta à Græcis dicuntur ἀγάπαι, propterea quòd in eis mutua fouebatur charitas.

Hoc nomine etiam dicuntur conuiuia, quæ pauperibus refocillandis instituuntur: qualia solent in Lolandia patria mea crebrò fieri. Qui enim illic aut nuptias celebrant, aut puerperia, aut alioquin solennia conuiuia, pauperibus mensas aptant, fercula apponunt non minus lauta quàm alijs conuiuis. Ac si quis conuiuator pau-

peres non admitteret, aut non benignè tractaret, non solum avarus, verum etiam in Deum impius, in pauperes crudelis haberetur. Hunc morem etiam in Scania, Iutia, Fionia, & Selandia, in quibusdam esse locis constat. Hunc morem commendabit pastor, & inuitabit conuiuatores ad humanitatem erga pauperes, commendans ipsis præceptum Domini, qui ait: Cum facis conuiuium, voca claudos, pauperes, cæcos: & beatus eris, quia non possunt vicem rependere tibi. Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Hac sententia multa continentur. Primum, probantur à Christo honesta & pia conuiuia. Deinde, monemur vt cum hilares esse velimus cum amicis & familiaribus, non negligamus pauperes, sed eos quoq; in nostrum recipiamus conuiuium. Tertio, promittitur merces à Deo, quia pauperes non possunt vicem rependere: eamq; mercedem dicit reddendam esse in resurrectione iustorum.

Quod autem Dominus dicit: Cum facis prandium, noli vocare amicos tuos, non eò pertinet, ac si Dominus vetaret conuiuia agitari inter cognatos & familiares: quòd sanè barbarum & nimis austerum esset. Quid enim, quæso, inhumanius, quàm
à men-

à mensa hospitali excludere amicos, & homines arcere ab omni comitate? Sed hoc tantum vult Dominus ostendere, officijs in mundo vsitatis, minimè veram probari charitatem. Quare hortatur ad veræ charitatis officia erga pauperes. Probat itaque sic conuiuia Christus, si pauperes non excludantur.

Hilaritatis honestæ causa instituta conuiuia, non improbantur: sed inter honesta numero, quæ potissimum exhibere solent homines, post aliquem laborem honestè peractum. Idç potissimum reficiendarum virium causa, per honestam & moderatam hilaritatem.

Gratulatoria conuiuia, qualia sunt nuptiarum & puerperiorum, commendantur exemplis sanctorum patrum. Illi enim solebant gratulationis ergò, amicos conuiujs excipere. Laban nuptiarum solenni more dies celebrauit. Abraham in die ablationis filij Isaac, grande conuiuium fecit.

Solent etiam conuiuia fieri ex consuetudine gentis, certo anni tempore, qualia nos in nostra patria vocamus fraternitates. Hæc conuiuia modò absit superstitio, & insana ebrietas, culpari non possunt. Verum in huiusmodi conuiujs modum seruari suadebit pius pastor.

H 4

Ad hoc

Ad hoc genus refero ea conuiuia, quæ in synodis agitari solent à pastoribus, finitis consultationibus & sacris: de quorum modo probo sententiam D. Petri Palladij piæ memoriæ, qui in suis synodalibus de illis præcepta conscripsit. Hactenus de honestis conuiujs.

INHONESTA conuiuia voco, quæ libidinis & ingurgitationis causa instituuntur, quæ potius porcis Epicuri conueniunt, quàm Christi ouibus. Ab his dehortatur Salomon Prouerb. 23. Noli, inquit, esse in conuiujs potatorum, neq; in comessationibus eorum. Comessationes autem dicuntur, nocturna post cœnam instituta conuiuia, & alia quæuis intempestiua & inhonesta. Habent autem nomen comessationes à Como, quem Deum agnouit gentilitas, & præsidem nocturnarum saltationum. Hic dicebatur coli à iuuenibus, qui coronati noctu cum facibus musicisq; instrumentis, ad amicarum fores saltandi canendiq; gratia concurrebant, procaciterq; lasciuiebant, vt fores nonnunquam effringerent. Hunc morem turpissimum, in hac clara Euangelij luce, non pauci sola ganea nobiles reuocant.

Huiusmodi itaq; Lapitharum conuiuia, pius verbi præco nunquam vel præsentia,

sentia, vel signo approbet, imò potius cordatè reprehendat ac damnet, non veritus alicuius personam. Multos (proh dolor) licet audire gloriantes, quòd possint compotores suos potando superare, ac non minus eo nomine sibi tribuunt, quàm olim Achilles qui Hectorem pugna vicit. Sed Esaias illis canit *Ἐπιφθέρματα*: Veh vobis (inquiens) qui confurgitis ad ebrietatem sectandam, & potandum vsq; ad vesperam, vt vino æstuetis. Item: Veh qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Pastor ergò potius auscultet Syracidi, qui ait: In vino virum te non exhibeas. Vinum enim multos perdidit.

Hæc sint dicta de generibus conuiuiorum: sequuntur colloquia conuiuialia.

COLLOQVIA CONVIVALIA feruiant honestæ hilaritati, & ædificationi mutuæ. Absit futilitas, absit garrulitas, absit acerbitas, absit malè de absentibus loquendi libido: sit pastor moderatus in verbis, & sibi Catonis distichon vt regulam proponat:

Inter conuiuas fac sis sermone modestus

Ne videare loquax dum vis urbanus haberi.

Et illud Syracidæ: In conuiuio vini ne arguas proximi, nec eum in sua læticia vituperes.

peres. Hic recolat pastor præcepta disciplinæ sermonis, de quibus supra dictum est.

Qualem autem oporteat in conuiujs honestis esse EDENDI ET BIBENDI MODUM, ex ijs quæ dixi facilè intelligitur. Sed hoc addo, quòd concertationes potandi, & ἀριθμοποσία, quæ (proh dolor) iam nimis vsitatae sunt, nequaquam sint ferendæ inter Christianos.

Quidam meritò apud Homerum laudatur, qui conuiujs suis vina abundè apposuit: sed neminem neq; ad bibendum, nisi perquam humaniter in initio conuiuij inuitauit, neque ad certamen potandi conuiuas compulit. Est enim nimis barbara consuetudo certare poculis, nequaquam hominis dignitati conueniens, nedum filijs Dei, & pastoribus gregis Christi, qui vice Christi funguntur.

Hanc ergò barbaram consuetudinem, Deo inuisam, homini probrosam, pastor relinquat Lapithis & barbaris, qui Christi nomen ignorant: neque hic finat se consuetudine vinci.

HILARITATIS MODERATIO necessaria est in conuiujs. Nam cum hilaritas modum excedit, in insaniam vertitur. Huc illud Anacharsis, qui primum quidem poculum sanitatis: Secundum voluptatis:

tis:
nia
Pyt
tion
cede
F
cant
ἀραβ
exhil
S
ritat
anim
flus
mod
temp
anat
in al
proxi
Q
phor
cum
ac d
mod
Neq
cani
preh
nea

tis : Tertium contumeliæ : Quartum insania esse dixit . Atque ideo non immeritò Pythagoras , ebrietatem insaniæ meditationem affirmavit .

Non igitur oportet bibendi modum excedere iustæ hilaritatis limites .

Homerus hilaritatem conuiuiorum in cantu & saltatione collocavit , quæ vocat *ἀναθήματα δαιτὸς* , ornamenta conuiuij , ad exhilarandos conuiuas adhibita .

Syracides cap. 31. potum vini ad hilaritatem non vituperat , cum ait : Lætitiâ animi & hilaritatem parit potus vini iustus , & opportunus . Iustum vocat , qui modum non excedit . Opportunum , qui temporis habet rationem . Homerica illa anathemata , si fuerint moderata , pastor in alijs ne reprehendat : sed ipse ab ijs prorsus abstineat .

Quid ergo de philothesijs , & symperiphoris sentiendum ? Philothesias , quæ sunt cum in amicitia signum præbibimus alicui , ac deinde poculum porrigimus , laudo : modò ad exhauriendum nemo cogatur . Neq; symperiphoras , cum ordine dicitur , canitur , bibitur , in honesto consortio reprehendendas iudico : modò conuiuæ maneat intra modestiæ terminos .

Sed quia difficile est modum seruare ,
suadeo

suadeo vt pastor Socratem imitetur, qui ait: Alij viuunt, vt edant & bibant, ego vero edo & bibo, vt viuam.

Ego soleo inter piorum & Epicureorum conuiuia, hoc discrimen statuere. Boni viri & integri, sæpè bibunt vt sedeant diutius, honestæ & piæ colloctionis ergò. At porci de grege Epicuri, hoc est, homines ventri dediti & voluptatis mancipia, sedent diutius, vt bibant copiosius. Hinc sæpè accidit, vt nonnihil hilaritatis modum excedant pij & boni viri, quod in illis tametsi vicio omnino non caret: non tamen est temerè damnandum, modò in fœdam ebrietatem non fuerint prolapsi. Nam illud Pauli præceptum Catholicum est, seruandum in omnium piorum conuiujs: Ne inebriemini vino, in quo luxus est: sed impleamini spiritu, loquentes inter vos mutuo per psalmos, & hymnos, & cantiones spirituales, canentes & psallentes in corde vestro Domino. Hic apostolus ἀναθήματα recitat conuiuij Christiani, ignota Homero, quæ sunt Psalmi, hymni, & cantiones spirituales: & antithesin facit inter hilaritatem ex ebrietate ortam, & hilaritatem sanctam, quæ ex pijs carminibus & psalmis in piorum cœtu oritur. Cum autem in corde dicit, non hoc vult apostolus, vt quisq̃
intus

intus & apud se sine lingua canat, sed serium cordis affectum requirit.

Duo ergò in cantionibus piorum coniungi debent, pius cordis affectus, & lingua quæ affectibus excitandis seruit. Hæc de hilaritatis modo sint dicta.

MORANDI IN CONVIVIO TEM-
PVS, non protrahatur ad insanix initium, sed tantum ad hilaritatis medium: præsertim pastori, in quem alij oculos conijciunt.

Nihil fœdus esse, aut dici potest, quàm pastorem insanix pocula exhaurire, & postremum esse qui domum abeat. Qui talis est, mihi videtur indignus, qui caprarum curam habeat, nedum ouium Christi. Huiusmodi à Iuda apostolo, maculæ in fraternis conuiujs dicuntur: vt qui pro voluptate ducentes in diem frui delicijs, & se miserè maculant, & alijs macularum occasionem præbent.

Iam locus postulat, vt disciplinam præscribamus, quæ in contractibus pastori est seruanda.

Primùm itaq; caueat pastor, ne quærat fordidum quæstum, seu, vt Paulus loquitur, ne sit *αιχροκεδης*, hoc est, turpiter lucri cupidus.

Deinde, ne implicet se negotijs ad se non pertinentibus, qui hoc faciunt, πολυ-

πραγμο-

παράγμονες sunt, quos vel Isocrates damnat, qui *πολυπραγμοσύνη* opponit *ἡσυχίαν*: ad quam Paulus Theffalonicenses hortatur, obtestans eos per Dominum nostrum Iesum Christum.

Tùm, ne suo exemplo comprobare videatur, quæ in alijs culpet: ne sit caupo: non exerceat mercaturam: non emat vt maioris rursus vendat: sed sit *αὐταρκής*, & sua vocatione contentus: viuat ex suis decimis, & agris. Si quid autem superfit, partem iustè vendat: partem reseruet in vxoris & liberorum vsu: partem eroget, sicuti supra dictum est, in vsu pauperum.

Caueat ne quicquam cuiquam debeat, nisi quod naturali iure debeat omnibus, hoc est, dilectionem & beneuolentiam.

Vice plurium præceptorum, sint honestorum pastorum exempla.

Præterea, pastor fugiat forenses lites, ac potius mediocrem patiatur iacturam, quàm vt lites sequatur, quæ ministerio non parum obfuturæ sunt.

Breuitè, in omnibus actionibus & contractibus sit pastor candidus, nihil auarè agat. Debet enim auaritiæ non solum crimen, verum etiam suspicionem magis fugere, quàm vllam pestem. Auaritiæ enim labe, cum ministros ipsos exponit obtreccionibus

tionibus hominū, tum ministerio ipsi pro-
brum conciliat & inuidiam. Caueat igitur
pastor ne sua auaritia & seipsum perdat, &
ministerium reddat hominibus inuisum.

Haecenus visi sumus nobis satis dixisse,
de disciplina seruanda pastori in communi
vita, & familiari hominum consuetudine.
Nam & ostendimus quomodo agendum sit
cum singulis hominum generibus, & qualis
esse debeat moderatio in vestitu, gestu, ver-
bis, & conuiujs. Atque etiam declarauimus
qualis candor requiratur à pastoribus, in
omnibus vitæ actionibus & contractibus.
Nunc proximo loco sequitur, vt explicemus,
qualem se pastor exhibere debeat, in
Ecclesiastico piorum cœtu.

Q V I D I N C O E T V E C C L E S I A -
S T I C O S P E C T A N D V M
P A S T O R I .

C O E T V M Ecclesiasticum voco, con-
gregationem Ecclesiæ, ad audiendum ver-
bum, ad precandum, ad percipiendum sa-
cramenta, congregatam. Sunt enim hi tres
fines, cur pij in ædibus sacris seu templis
conueniant.

Ex quo patet, qua in re oporteat excelle-
re pastorem in cœtu Ecclesiastico. Nam, vt
Augustinus ait, ita oportet pastorem excel-
lere

lere in omnibus, vt cæteri præ illo grex esse videantur.

Primum ergò sciat pastor, quòd in templo, vbi congregatur Ecclesia, debeat quàm attentissimè verbum Dei audire, quoties concionatores audiendi sunt. Quidam inepti totum tempus quo prædicatur verbum, consumunt nunc colloquijs, interdum lectionibus, sæpè somno, ac si ad se non pertineret mandatum Dei, quo omnes iubentur ipsius audire verbum. Horum error est corrigendus, nisi iram Dei velint incurere, & maiorem damnationem.

Quidam autem hoc faciunt, ne videantur ab illis discere. Horum superbia odio digna est. Quidam alias fortè causas prætendunt. Verum pio pastori consulo, vt omnes suos auditores pietatis declaratione (absq; tamen hypocrisi) & audiendi diligentia superet. Hinc enim copiosissimum percipit fructum.

Primum enim confirmatur voce docentis in doctrina.

Deinde etiam discere potest aliquando ab eo, qui præ ipso idiota videtur. Sæpe enim Deus per infimos ea mysteria aperit, quæ sapientissimi suo acumine non potuerunt eruere.

Mos fuit beato Luthero, & sanctissimæ
memo-

memoriæ Philippo Melanthoni , diligentissimè audire concionatores. Et sæpe confessi sunt se & consolationibus erectos, & in doctrina confirmatos aliorum voce.

Præterea gratum est Deo officium audiendi verbum.

Postremò exemplum prodest. Nam cum homines pastorem ipsum auidè audire verbum animaduertunt , ipsi ad diligentiam maiorem excitantur.

Deinde pastor meminerit , & sui muneris esse , in cœtu Ecclesiastico, vnà cum Ecclesia precari. Hic veniat ei in mentem necessitas Ecclesiæ : cogitet de publicis & priuatis calamitatibus : cogitet de hostibus Ecclesiæ, Diabolo, tyrannis , & hæreticis, & flagitiosè viuentibus.

In his cogitationibus ardentè cum Ecclesia Deum inuocet, vt ipse mitiget publica & priuata mala : vt reprimat hostes Diabolos : vt homines hostes, hæreticos, & tyrannos, aut sua bonitate conuertat, vt saluentur, aut suo iudicio coërceat, ne Ecclesiæ ruinam inferant : vt scandala tollat doctrinæ & morum : vt Ecclesiæ largiatur pacem : vt confirmet fideles in pio & sancto proposito : vt doctores Ecclesiæ suo spiritu regat : vt magistratum nostrum conseruet in vera pietate : vt omnes status & ordines

I

homi-

hominum, vinculo pacis coniungat : vt Ecclesiastico , politico & œconomico statui afsit . Breuiter vt suum regnum quotidie adaugeat, & regnum Satanæ magis magisque destruat. Hæc petat pius pastor quàm ardentissimè, & suo Ecclesiam exemplo ad precandum inuitet .

Adhæc cum Ecclesia congregatur etiam ad participationem sacramentorum, sit quoque pastor in hac parte diligens : declaret suam fidem : edat confessionem : percipiat cœnam Dominicam sæpe cum alijs, vt auditores ipsius exemplo confirmati & moti, pluris faciant sacramenta Ecclesiæ. Qui autem pastores rarò communicant, exemplo suo faciunt, vt sacramenta veniant paulatim in contemptum .

Propter hæc tria, hoc est, verbum, preces, & sacramentorum participationem, habet & Ecclesia congregata certas ceremonias, recitantur Psalmi, canuntur & alia pia cantica : quæ omnia adhibentur, vt sint veluti flabella quædam, quibus spiritus hominis ad pietatis meditationem excitetur. His quoque ceremonijs pius pastor adesse debet. Canat ergò cum alijs, & ostendat se istis carminibus affici .

Impleamini, inquit Apostolus, spiritu, loquentes inter vos mutuò per Psalmos & hym-

hymnos, & cationes spirituales, canentes & psallentes in corde vestro Domino. Cum dicit, canentes & psallentes in corde, non prohibet ore canere & psallere: sed significat oris cantum nihil prodesse, nisi ex corde proficiscatur. Ex corde ergo prouenire debet: & dum ore canitur, cor magis ad pietatem veluti flabello excitatur.

Hæc sint breuiter dicta de disciplina pastoris in Ecclesiastico cœtu seruanda. Sequitur de consilijs & deliberationibus.

QVID IN CONSILIIS ET DELIBERATIONIBVS SPECTANDVM PASTORI.

CONSULTATIONES Ecclesiasticæ, aut doctrinæ controuersæ causa, aut ministerij gratia, aut eorum ergò, quæ vel ad doctrinam, vel ad ministeriũ pertinent, fieri solent.

Ad doctrinam examinandam collationes de controuersis articulis, & dijudicatio necessariæ sunt.

Ad ministerium pertinent, ministrorum electio, vocatio, approbatio, ordinatio.

Ad vtrumq; , ceremoniæ, disciplina, & redituum Ecclesiasticorum dispensatio referuntur.

Existimo nullam causam offerri posse senatui Ecclesiastico, quin sub his generib.

contineatur. Dicam igitur qualis disciplina pastori sit commoda in his iudicij Ecclesiastici partibus.

Consultatio de doctrina controuersa, modesta debet esse, in qua pastor non tam victoriam quærat, quàm veritatem, imitatus Socratem, qui suum aduersarium ante disputationis ingressum admonuit hac sententia: Non tam quærat uter nostrum vincat, quàm inquiratur veritas.

Quando ita pastor animo affectus est, audiat aliorum sententias, & collationes scripturarum. Ipse autem modestè, cum rogatus fuerit, suam dicat sententiam.

Qui collationes scripturarum non admittunt, & ex illis nolunt interpretationem, quæ sit consentanea cum tota scriptura, peti, in multa absurda incidunt.

Qui legit Pauli dictum: Qui laborat manducet, & ita his verbis adhæret, ut ex collatione non ferat interpretationem ullam, quæ generale dictum, ad certam speciem restringit, is infantibus, qui agere nihil possunt, negabit victum. Quo facto quid potest esse immanius?

Sic multi sæpe vnum dictum arripiunt, cuius cum verba mordaciter retinent, vim faciunt interdum articulis fidei.

Quare in controuersis articulis, opus est pru-

est
erue
vniu
N
Hoc
tion
nabi
Dei
Q
dictu
hoc S
confi
plicit
D
ne pu
decal
præ
ga, h
axiom
Est
cler
rum c
At ill
piet
deunt
trigin
doctri
Int
tineat

est prudenti collatione, ex qua collatione eruetur verus dicti sensus, congruens cum vniuersa scriptura.

Moses dicit: Non facies vllum sculptile. Hoc dictum qui apprehendit, nulla collatione facta cum alijs scripturæ locis, damnabit Salomonem, qui sculpturis templum Dei ornauit.

Quare ex collatione discendum, vtrum dictum ἀπλῶς accipiendum sit, an κατὰ τὴν: vt hoc Salomonis factum, (vt ex collatione constat) κατὰ τὴν accipiendum est, non simpliciter.

Deinde in dijudicatione cauendum est, ne pugnet interpretatio, cum aliqua lege decalogi, aut articulis fidei. Ideo Paulus præcipit, vt interpretatio sit fidei analogæ, hoc est, congruat cum primis religionis axiomatis.

Est & adhibenda in consilium puræ Ecclesiæ sententia, & audiendi sunt illi, quorum doctrina & pietas multis est probata. At illi qui æmulationis zelo potius quàm pietatis studio, subitò velut è tenebris prodeunt, nequaquam sunt illis conferendi, qui triginta aut quadraginta annos, puritatem doctrinæ voce & scriptis propagarunt.

Intra hos limites si meus pastor se contineat, rectè facit, & paci tranquillitatique

Ecclesiæ consulit. Contra qui suas quas concepere sententias, mordicè tuentur, & nolunt audire aliorum iudicia: atq; illi qui tanquam oracula admirantur, quæ iam sparguntur à nouis magistris, contra summorum virorum in Ecclesia auctoritatem, tranquillitatem Ecclesiæ turbant, & rei sunt schismatis in Ecclesia, & suo tempore iustas pœnas Deo dabunt.

Si deliberationes instituuntur de ministerio, similem adhibeat pastor prudentiam: cum alijs eligat, non affectu raptus, aut fauore aut odio corruptus, quos iudicauerit vtiles esse Ecclesiæ: cum alijs vocet electos, ordinet, & probet, maturo adhibito iudicio, semperq; spiritu Deum preceatur, vt ipse consilia & euentus gubernet.

Cum de ceremonijs agitur, consulat pastor, ne Ecclesia oneretur multis ceremonijs.

Si quæ abolendæ sunt, diligenter attendat, quid vicij habeant. Nam sicut leges in Rebus publicis, ita in Ecclesia ceremoniæ, non facilè sine offensione vulgi mouentur. Quare cautio adhibenda, ne abrogatio plus pariat mali quàm boni.

Si quæ sunt nouæ instituendæ, videat prudenter, ne sint pueriles nimium, aut ociosæ, aut superstitiosæ, aut ineptæ. Nulla enim

læ enim ceremoniæ admittendæ, nisi quæ faciunt ad pietatem alendam, & gravitatem, in sacrorum tractatione.

Etsi autem ego consultius iudico, ut nulla prorsus ceremoniarum in mediocriter reformatis Ecclesijs mutatio admittatur: hoc tamen consilium dedi, ut cogitet pastor, quò sit respiciendum, ubi deliberationes instituuntur de ceremonijs.

Disciplina sequitur, quæ mores corrigit. Quoties de hac agitur, meminerit pastor modestiæ, quæ cum adest, non facile in corrigendis aliorum moribus peccabit.

Huius disciplinæ moderandæ regulam præscribit Paulus Timotheo, his verbis: Seniore[m] ne increpes, sed adhortare ut patrem: iuniores, ut fratres: mulieres natu grandiores, ut matres: iuniores, ut sorores, cum omni castitate.

Hoc est, Si accusatus fuerit senior aliquis, & fuerit conuictus alicuius peccati, ne seuerè, tanquam dominium in eum habens, ipsum increpes: sed ita agito cum illo, ut intelligat ex animo bono & amico admonitionem proficisci.

Quidam cum peccantes corrigere debent, ita austerè agunt, ac si omnem humanitatis sensum exuissent: ac se tum demum viros cordatos, ac strenuos in ministe-

rio haberi volunt, vbi fortè pauperulum aliquem, qui lapsus est, pro sui animi impotentia, rabiosis verbis prostrauerint.

Sed Paulus vult correctionem temperari humanitate atq; clementia. Nemo enim libenter admittit censorem, qui hostili videtur agere animo. Contra, nemo non facilè recipit vel duriores increpationem ab eo, quem scit se non odisse.

Iuniores, vt fratres: hoc est, Si iuniores fuerint accusati, & alicuius sceleris conuicti, ne eos increpes vt hostes, sed eos corrigas, vt te ex fraterno amore agere intelligant.

Mulieres natu grandiores, vt matres: hoc est, Si contigerit mulieres grandævas peccare, vel loquacitate, vel obtrectandi libidine, aut alia quauis ratione, ne sis in eas nimis seuerus, & durus, sed eas potius adhortando corrigas.

Iuniores, vt sorores, scilicet adhortare. Hoc est: Si contigerit iuniores fœminas, vel ignorantia, vel infirmitate, vel ætatis vicio delinquere, ne sis in eas austerus: sed ita moderare correptionem, vt videatur ex fraterno corde proficisci. Nam vt medicina temperata aliquo dulcore facilius ab ægroto percipitur: ita correptio, quæ candidi amoris significationem habet, libentius

bentius admittitur & efficacior est. Discernendum tamen est inter adulationis pestem, & erroris dulce remedium. Illa enim mortis, hoc vitæ & sanitatis causa est.

Addit in fine: Cum omni castitate: quod ad omnia membra illa quatuor, quæ præcedunt, referendum est. Nam hæc particula significat, castam grauitatem adhibendam esse, quæ non sit contaminata vlllo priuato affectu.

Sunt qui gaudent de lapsu eorum, quos aliquando oderunt, aut qui se aliquando læserunt: vt postea lapsos pro libidine animi, sæuis possint obruere & confundere verbis: sed ista correptio non est casta & grauis, sed adulterata prauis affectibus, & ex leuitate animi saucij proficiscens.

Paulus itaq; pastori in corrigendis vicijs, lenitatem & moderationem commendat. Nam vt medicina, quæ sua natura aliquid amari habet, mitigatur aliquo additamento, vt eam ægrotus non auersetur: ita seueritas, quæ necessaria est in corrigendis vicijs, temperanda lenitate, ne qui peccauit, correptionis asperitate territus, nullam correctionem admittat.

Cum de reddituum dispensatione, deliberationes à senatu Ecclesiastico fiunt, duo caueat pastor. Vnum, ne auarè videatur

agere. Alterum, ne ex affectu aliquo privato reditus Ecclesiæ velit distribui. Vtrumque viciū est in pastore minimè ferendum. Quare iustè agat pastor.

Si stipendiorum causa agitur, sit norma distributiua iusticia, secundum proportionem Geometricam.

Si pauperibus ex superfluis aliquid est tribuendum, pietatis ac necessitatis, & non amicitia habeatur ratio. Solent enim homines, amore & odio moueri multum: sed pastor hanc sequatur regulam: Cum ab amicis, quæ non licent postulantur, iusticia & pietas anteponatur amicitia.

Hæc sint dicta de tertia parte disciplinae pastoralis, qua regatur in externa & politica hominum conuersatione.

DE QVARTA PARTE,
QVAE CONTINET OFFICIUM,
SEV LEGITIMAM PASCENDARUM OVIUM Christi
rationem.

VERE dixit quidam ex patribus, regimen animarum esse artem artium: sentiens & difficilimum esse opus, & requirere singularem peritiam.

Multi, proh dolor, pastores agere volunt,

lunt, cum ipsi potius, vt ab alijs pascantur, indigent.

Tales non mouentur ouium salute, sed proprijs commodis stimulantur, quibus melius esset, si nunquam nati fuissent. Nam horrendam iram Dei sibi thesaurifant, in diem iræ & reuelationis I E S V C H R I S T I.

Hi sanè non tam sollicitè quærent onus, cui pares non sunt, si cogitarent, qualis sit res ouile Christi: si perpenderent, quàm pulchra, & Deo grata sit ouium Christi societas: in cuius medio Dominus ille est, cui sol & luna famulantur, cui assunt ministri eius, milia milium, & decies centena milia: si intelligerent, quantæ molis sit, Christianam condere gentem: hoc est, regnum Christi erigere, & Satanæ palatia demoliri.

Ratiocinationes, inquit Paulus, evertimus, omnemq; sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei: & captiuam ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Christo.

Cum igitur tam augustum sit pastoris officium, tam arduum, tam periculosum, tam diuinum, operæ precium est rectè institui pastorem, vt sciat partes sui officij: ne cum pastor ouium Christi haberi velit, lupus sit

pus sit pessimus, qui oues miserè dilaniet,
& à vero ouili abducat.

Ego itaq; constitui summa qua possum
diligentia, pastorem Dominici gregis in-
struere: atq; eius officij partes explicare,
quò certa illi norma agendi, ex verbo Dei
desumpta, constet. Princeps pastor Christus
mentem & calamum gubernet, AMEN.

Vt autem certa cum ratione susceptum
opus expediam, quatuor ordine sum expo-
siturus.

I. Quodnam sit pastoris officium.

II. Quanam sit potestas ministrorum.

III. Præmium rectè præstiti officij.

IIII. Pœna neglecti muneris.

Interrogatus quis quodnam sit pasto-
ris officium: breuiter quidem, & rectè re-
spondere potest, Pascere: sed pascendi ars,
& huius partes, non tam facilè explicantur.

Vt autem pastor meus perpendat, quàm
sit augustum, diuinum, & magnificum pa-
storis officium, PRIMVM titulos pastoris,
quos tribuit ei Spiritus sanctus, recitabo.

DEINDE, quid illum mouere debeat
ad diligentiam in officio, ostendam.

TVM artem pascendi, & eius partes ac-
cedam, vt non tantum in genere intelliga-
tur, quale sit pastoris officium: sed vt, ana-
tomia videlicet facta, omnes eius partes
conspiciantur.

Inter

Inter multos titulos, quos Spiritus sanctus tribuit verbi Dei præconibus, hi sunt ex præcipuis: Prophetæ, speculatores, tuba Dei, præcones Dei, legati & serui Dei, testes Dei, episcopi, œconomi mysteriorum Dei, architecti, lux mundi, sal terræ, piscatores hominum, seminatores seu agricolæ, presbyteri, pastores, &c.

Hi tituli, & huiusmodi alij multi, non solum dignitatem ministrorum verbi commendant, verumetiam illorum officium, pulcherrimis similitudinibus pingunt. Hos ergò titulos breuiter explicabimus.

PROPHETAE dicuntur, cùm quia prædicunt futura, iuxta decretum Dei de salute credentium, & damnatione reprobatorum: tum quia oracula Dei, & prophetias veteres exponunt populo. Hac appellatione monentur ministri Dei, vt nihil de suo proponant Ecclesiæ, sed tantum id quod locutus est Deus, iuxta pactum Dei cum Leuitis.

SPECULATORVM appellatio, vtrumque regimen comprehendit, & præfectorum & ministrorum verbi, quos Dominus, veluti binos in corpore oculos, ad regendam Ecclesiam instituit. His, si prauis sunt, nulla pestis potest Ecclesiæ esse deterior. Contra, si boni, nihil melius, nihil iucundius, nihil denique optatius contingere potest.

Verum

Verum ministri verbi peculiariter speculatores dicuntur, propterea quòd veluti in specula constituti sunt, vt pro salute populi vigilent. Quemadmodum enim tempore belli in excubijs collocantur vigiles, ne ciues inopinantes opprimantur ab hostibus: ita in Ecclesia sunt ordinati ministri, vt hostium insidias anteuertant, & auertant. Monet ergò hæc appellatio ministros verbi, de duabus rebus: nempe de hostibus Ecclesiæ, qui insidiantur doctrinæ, & moribus singulorum in Ecclesia: & de excubijs quas agent ministri, ne isti hostes per insidias inuadant Ecclesiam & vastent. Quales isti, quæso, sunt speculatores, qui vicijs suis indormiunt, & perpetua ebrietate madent.

TUBA DEI etiam dicuntur ministri verbi, vt Esaia 58. Quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo peccatum suum, & Israël iniquitatem suam. Hac appellatione significatur, quòd diuini verbi præcones bellum perpetuum indicere debeant impijs.

Admonentur itaq; hic ministri Dei vehementiæ & seueritatis, qua maximè hypocritæ opus habent, qui sibi placent in vicijs suis, donec seuerius arguantur, atque in lucem protrahantur. Si enim ministri verbi de lege & Euangelio solum verba facerent,
atq;

atque ostenderent quæ sit regula benè & sanctè viuendi, commendarent cultum Dei, vicia quoq; reprehenderent, nulla adhibita vehementia, quid efficerent apud hypocritas? Meminerint ergo ministri verbi, quòd sint veluti tuba quædam, qua vocantur homines, ad bellum aduersus Diabolum & peccatum.

PRAECONES DEI dicuntur, iuxta illud: κηρυξάτε, hoc est, veluti præcones proclamate. Hac voce admonentur, quòd prædicatio Euangelij sit vniuersalis, & quòd ministrorum sit hanc prædicationem non celare quosdam, & alijs reuelare: sed debent toti mundo Euangelium prædicationis pœnitentiæ proponere, & omnibus pœnitentibus remissionem peccatorum in salutem annunciare.

Legati præterea & Serui Dei dicuntur.

LEGATI quidem, quia nihil de suo afferent, sed tantum quod habeant in mandatis, annunciare debent: idq; ijs ad quos missi sunt. Qui enim sua annunciant, aut quæ Deus non mandauit, Satanæ sunt legati, non Dei.

SERVI vero, vt quæ Domini sunt curent, & non propria agant.

TESTES adhuc appellântur: Eritis, inqt, mihi

mihī testes in omni Iudæa . Nam cum verbum Domini in scripturis testimoniū Domini dicitur , rectè qui istud annunciant testes Dei appellantur . Dicitur autem verbum testimonium , quia nobis de Dei voluntate testatur . Hinc tres admonitiones sumat pastor . Primam , quòd voluntas Dei non aliundè sit quærenda , quàm ex eius testimonio , hoc est , verbo tradito in prophetis & apostolicis scriptis . Secundam , quòd securè damnetur , quicquid de religione censent homines , vel præter vel contra verbum Dei . Tertiam , vt caueat pastor , ne hoc testimonium occultet , aut non rectè applicet : sed det operam , vt sit testis Dei fidelis , sicuti testimonium ipsum fidele est , sapientiam præstans paruulis .

EPISCOPI , generale quoq; hoc nomen est omnium ministrorum verbi , tametsi vsus iam obtinuit , vt ijs , qui ad alios respectum habent , vt rectè faciant officium , hoc nomen tribuatur . Qua re nonnihil videtur contemni lingua Spiritus sancti . Quod enim is commune facit omnibus , vsus tribuit quibusdam . Nomen autem Episcopi , intentum notat , apud Platonem præsidem & inspectorem operarum in singulis hominum ordinibus & statibus significat . Vnde nomen translatum est ad ministros verbi ,
quia

quia eorum munus est inspicere, & curare, ut & doctrina sana conseruetur, & mores secundum doctrinæ normam forment auditores. Apud Homerum 10. Iliados: Is qui aliò ad explorandum quid agatur mittitur, voce Episcopi significatur. Apud Indos Episcopi fuerunt, quorum erat videre, quid in quaquæ regione fieret, ut cognita ad magistratum referrent. Fuit & Atticus magistratus Episcopus, hoc est, prætor, qui mittebatur ad ius dicendum, in ea oppida, quæ sub ditione Atheniensium erant. Ciceroni ad Atticum, Episcopus est ad quem delectus & negocij summa refertur. Andromacha apud Homerum, Hectorem vocat Troiæ Episcopum, hoc est, defensorem & præsidem. Atque hæc significata aptè transferuntur ad eos, quos hodiè vocamus Episcopos. Hi enim mittuntur aliò, ad explorandum quid & quomodo agatur, in ijs parochijs, quæ suæ fidei sunt commissæ.

Penes hos ius dicendi autoritas est, iuxta verbum expressum, & piæ disciplinæ regulam: idquæ in ijs diocæsesibus, quæ ipsis commissæ sunt. Ad hos delectus & negotij summa pertinet. Hi sunt defensores & præfides Ecclesiarum, sed nequaquam *ἀντιπρόσωποι*. Debent enim summo monarchæ Christo rationem suæ administrationis reddere.

K

O E C O-

ŒCONOMI, idēq; myſteriorum Dei, dicuntur, I. Cor. 4. Sic vos exiſtinet homo vt miniſtros Chriſti, & œconomos myſteriorum Dei. PRIMVM Paulus hęc Euangelij præcones, miniſtros appellat. DEINDE miniſterij genus exprimit, cum eos œconomos vocat, idēq; myſteriorum Dei: quo ſignificatur, non latius patere eorum officium, quàm vt myſteria Dei diſpenſent: hoc eſt, quæ Dominus illis mandaue- rit, de manu, quod aiunt, in manum tradant, non autem quod iſtis libitum fuerit. Et quia œconomi ſuorum dominorum claues habent, vt pro arbitrio dominorum claudant & aperiant, dicuntur miniſtri verbi claues à Domino accepiffe, quibus clauditur & recluditur regnum cœlorum, quod hac fit ratione. Quando prædicatur Euangelium pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum per Chriſtum, applicant œconomi Dei vnā clauem, qua aperitur regnum cœlorum. Quod ſi illi qui audiunt verbum, adhibent verbo fidem, accedit etiam clauis altera. At ſi auditores fidem non adhibent, dicuntur œconomi claudere regnum cœlorum, iuxta dictum: Qui non crediderit condemnabitur. Hęc clauium Eccleſiæ ſpiritualis poteſtas eſt, de quibus poſtea ruruſus dicentur plura.

A R-

ARCHITECTI, I. Cor. 3. Tanquam sapiens architectus fundamentum posui, secundum gratiam Dei mihi datam, alius autem superædificat. Porro vnusquisq; videat quomodo ædificat. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positum est, quod est Iesus Christus.

Hæc collatio tria docet. Christum esse fundamentum: Ecclesiam esse ædificium: ministros verbi esse architectos.

Hi ergò monentur, ne extra fundamentum ædificent, sed omnia ad normam fundamenti exigant. Proinde hîc non solum dignitas ministrorum verbi & officium indicatur, verumetiam ædificandi modus.

LUX MVNDI, Matthæi 5. Vos estis lux mundi. Etsi autem omnes conuersi, & luce cœlestis doctrinæ illuminati, filij lucis dicuntur, & iubentur lucernas ardentes manibus gestare, ne errent in tenebris: tamen quia præ alijs lucere debent ministri Euangelij, tribuit eis Christus hoc elogium, quibus & præcipit, vt suam lucem fiant lucere. Sic luceat, inquit, lux vestra coram hominibus. Est autem lux doctrinæ, & lux morum: vtraq; lucere debet in ijs, qui legitimi ministri haberi volunt.

SAL TERRAE: hic titulus significat munus ministrorū verbi esse salire terrā: quia

K 2

scili-

AR

scilicet, nihil nisi insipidum habent homines, donec sale doctrinæ cœlestis conditi fuerint. Caueant ergò ministri verbi, ne ipsi insulsi sint, qui alios salire sale doctrinæ & vitæ debent. De salis metaphora supra dictum est.

PISCATORES HOMINVM, Matth. 4. Sequimini me, faciam vos pisces hominum. Rete & verbum, piscatio & prædicatio, pisces & prædicatores, mare & mundus, inter se analogiam habent.

Vt rete multas maculas habet: ita verbum multa testimonia & exempla.

Vt in piscatione capiuntur magni & parui pisces: ita prædicatione sapientes & insipientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, conuertuntur ad Deum.

Vt pisces tota laborant nocte, vt capiant pisces: ita ministri Euangelij toto vitæ tempore conabuntur homines adducere Christo.

Vt mare est procellosum, & sæpe piscatoribus minus propitium: ita mundus non cessat ministris Euangelij negociû faceffere.

Admoneantur itaq; ministri Euangelij, & summæ industriæ in officio adhibendæ, & periculi à fluctibus mundi: sed nihilo minus retia sua iaciant in nomine Christi. Is enim faciet vt piscatio non sit futura inanis.

S E M I-

SEMINATORES ET AGRICOLAE.

Hic titulus de quatuor admonet. **P R I M V M**, quòd homines comparentur agro. **S E C V N D V M**, quòd verbum Dei feminisationem habeat. **T E R T I V M**, quòd seminatores & agricolæ symbolicè prædicatores notent. **Q V A R T V M**, quòd feminis vis & incrementum, hoc est, verbi Dei efficacia, à Deo sit. Ut enim agricola perfunctus est suo munere, postquam in terram iecit semen, & non potest facere, ut semen fructum ferat: ita verbum prædicatum non fert fructum, nisi diuinitus rigatum fuerit aquis cœlestibus. Et ut agricola debet terram subigere, stercorendo, arando, occando, plantando: sic & res se habet ministrorum. Debent enim corda hominum legis prædicatione arare, & aptare ad recipiendum semen cœleste.

P R E S B Y T E R I, hoc est, seniores. Hic non tam ætatis quàm honoris & ordinis titulus est. Monentur igitur hac appellatione præcones verbi, ut iuuenilem inconstantiam & leuitatem fugiant, & eam sectentur grauitatem, quæ poterit ipsis auctoritatem apud populum conciliare.

P A S T O R E S deniq; vsitatissimè in scripturis dicuntur ministri verbi: quemadmodum etiam rectores rerumpublicarum

apud prophetas & Homerum. Hæc appellatio & officium, & curam, quæ varia & multiplex est, & conditionem eorum, qui Euangelium audiunt, exprimit.

OFFICIUM, est pascere gregem Christi pabulo cœlesti, quod est verbum Dei.

CURA, est ne vel à lupis rapiantur oves, vel morbis infestentur, sed vt & tutæ sint in ouili, & sanæ: hoc est, minimè infestæ veneno peruersæ doctrinæ, aut labemorum prauorum.

Conditio auditorum verbi, similitudine ouium indicatur, quarum aliæ alijs implicantur incommodis. Quælibet enim suos patitur hostes, suas insidias, sua certamina. Hanc vepres, spinæ, sentesq; dilacerant. Hanc æstus vrens, hanc bruma rigens scrutiant. Hæc infixæ est in limo profundi. Hæc ex altis rupibus præceps ruit. Adhæret huic veterna scabies. Alteri contagiosa societas morbum affricat. Sicque fascinatio morbidarum transit in teneriores agriculos.

An non hic actum est de ouibus, nisi peritia pastoris & cura succurrat?

Non aliter se habet res, in cœtu hominum audientium vocem Euangelij. Hic opinionum varietate veluti laceratur. Hunc tentationes transuersum agunt: alius impatien-

pati
lupt
nou
cati
pos
& c
stif
tate
unt
dit e
pare
C
mita
flore
debit
ouili
figa
exer
In
lum v
abiga
cem
Sata
S
huic
tat
di o
ram
fus

patientia frangitur: nonnulli immerſi voluptatibus hærent: non pauci quotidie in noua ruunt flagitia: ſunt qui aſſuetis peccatis ita induruerunt, vt ab eis liberari non poſſint. Nam, vt Auguſtinus ait, natura & conſuetudo, hæc duo coniuncta robuſtiſſimam faciunt & inuictiſſimam cupiditatem. Multi, proh dolor, aliorum inſciuntur contagione, atq; ita morbus peruadit etiam in pueros, qui ſtatim cum lacte parentum vicia imbibunt.

Cum ergò tanta ſit ouium Chriſti infirmitas, oportet ſanè haud ſegnem eſſe paſtorem, qui his omnibus malis peritè medebitur. Neq; quiſquam fideliter præfici ouili Chriſti poterit, niſi qui his malis proſtigandis totis viribus, nocte dieq; voce, exemplo, & precibus laborat.

Incumbit præfecto bono paſtori, non ſolum vt oues aggreget: ſed etiam vt lupos abigat. Quid enim profuerit Euangelij vocem interdum proferre, ſi ad manifeſtas Satanæ impoſturas conniueat paſtor.

Sed vnde paſtori tanta alacritas, vt huic tam difficili & periculoſæ ſe committat functioni? Vnde tam ſerium paſcendi oues Chriſti ſtudium? præfectò qui curam ouium Chriſti in ſe recipit, non impuſus vera cauſa, quæ ſola conſtantem, laborioſum,

riosum, & alacrem in subeundis tot pro ouibus Christi molestijs reddere potest, non solum deficiet pertæsus molestiæ, verum etiam cura ouium abiecta se ipse potius curabit quàm oues: quemadmodum multi qui de pastorū titulo gloriantur, hodiè faciunt.

Quænam ergò est sola illa causa, quæ hanc diligentiam pastori parit? Amor principis pastoris nostri Domini Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro ouibus suis. Hic enim, vt est Ioannis 21. Petro dicit: Amas me. Et respondet: Amo te. Eiq; refertur: Pasce agnos meos. Et hoc iterum, & hoc tertio: significans neminem aptum esse ad pascendas oues Christi, nisi qui Christi amore ducatur. Hinc Augustinus: Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oues Christi, vt suas velint esse, non Christi, se conuincuntur amare, non Christum: vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediendi & subueniendi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata ista vox Christi, quos Apostolus gemit sua quærere, non quæ Iesu Christi. Nam quid est aliud, diligis me, pasce oues meas, quàm si diceretur: si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas, &

as, & sicut meas pascere, non sicut tuas: gloriam meam in eis quære, non tuam: dominium meum, non tuum: lucra mea, non tua: ne sis in eorum societate, qui pertinent ad tempora periculosa, seipsum amantes. Et paulò post: Non ergo nos, sed ipsum amemus, & in pascendis ouibus eius, ea quæ sunt eius, non ea quæ sunt nostra, quæramus.

Habes ex Christi dictis, & ex Augustini verbis, quæ causa impellere sola potest & debet pastorem, ut rectè faciat officium. Hæc causa amor Christi est: hic amor, ut idem Augustinus ait, in tam magnum debet spirituales crescere ardorem, ut vincat etiam mortis naturalem timorem, quo mori volumus, & quo cum Christo viuere volumus.

Ex his etiam pulchrè licet colligere, in quo conueniant, & in quo discrepent pastor & mercenarius.

Conueniunt primùm in vocatione. Nam ut pastor legitimam vocationem habet: ita & mercenarius. Deinde conueniunt in doctrina. Vterque enim verbum Dei docet. Et Augustinus ait: Mercenarij Christum prædicant, & per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium. Audite (inquit Augustinus) mercenarios ab ipso

K 5

Domi-

Domino demonstratos. Scribæ (inquit) & Pharifæi , super cathedram Mofis fedent , quæ dicunt facite , quæ autem faciunt facere nolite . Quid aliud dixit nifi per mercenarios vocem pastoris audite ? Sedendo enim cathedram Mofis , legem Dei docent , ergo per illos Deus docet : fua verò illi fi velint docere , nolite audire , nolite facere . Certè enim tales fua quærunt , nõ quæ Iefu Chrifti .

Proinde cõmunia hæc duo habent pastor & mercenarius , vocationem & doctrinam .

In quo ergò differunt pastor & mercenarius ? In quatuor funt diffimiles . In caufa , in ftudio , in vita , in periculo .

I N C A V S A . Pastor enim amore ardentis Chrifti & gloriæ regni ipfius , impellitur ad pastoratus officium , & perpetuò eo amore ardet , nihil magis habens in votis , quàm vt principi pastori gratificetur . Mercenarius verò interdum fortè amore Chrifti tangitur , fed tepido admodum , magis autem alijs mouetur emolumentis .

I N S T V D I O . Pastoris cura tota huc incumbit , vt Chrifto quærat oues , vt Chrifto quærat gloriam , vt Chrifto quærat lucra . Mercenarius verò fibi quærit oues , etfi voce Chrifti , fed oues tamen ipfum non fequuntur , fed pastorem Chriftum : fibi quærit gloriam , fibi quærit lucrum .

I N

IN VITA. Pastoris vita est doctrinae exemplar. Pastor dicit: Imitatores mei estote, sicut ego Iesu Christi. Etsi autem nemo est tam iustus, quin septies in die cadat: tamen ἀνεγκλιτον esse oportet pastorem, ut illi nullum crimen obijcere possis. Format igitur semper mores suos ad regulam verbi, ut non tantum voce doceat, sed etiam vita & moribus.

Sic sancti patres fecerunt: sic hodie faciunt, qui verè Deum timent. Sunt humiles, sunt iusti, sunt modesti, sunt temperantes, sunt hospitales, sunt mansueti, sunt graues, benè præfunt familiæ, sunt liberales, & alijs ornati sunt virtutib. quas Paulus scribens Timotheo, requirit in Episcopo seu pastore.

Contra vero mercenarius dicit: facite sicut doceo, nolite facere sicut ego facio. Noui quendam insulsum hominem, qui istam vocem sæpè suis inculcat auditoribus.

Mercenarij vt plurimum sunt elati, semper auari, turpi lucro dediti, intemperantes, superbiam animi luxu vestium produnt, & multis alijs laborant vicijs. Quare doctrinam eorum audiamus, ac vitam fugiamus. Cælum ædificant voce, vita infernum.

IN PERICULO. Pastor opponit se lupis, vigilat, & obseruat ne fures veniant, & fu-

& furentur. At mercenarius viso lupo fugit, quia mercenarius est, & oues ad ipsum non pertinent.

Verum hic non immeritò aliquis obijciat. An non Christus interdum fugit? An non mandauit discipulis suis: Cum persecuti vos fuerint in vna ciuitate, in aliam fugite? An non Paulus ipse fugit, demissus in corbe per murum?

Iam cum certum sit nec Christum mercenarium fuisse, nec apostolos reliquos, necesse est vt non de quauis fuga intelligendum sit, quod Dominus de fuga dicit.

Sciendum itaq; est, quòd sit fuga corporis, & fuga animi. Illa interdum licita est, hæc nunquam.

Sed quænam animi est fuga? Cum aliquis ab officio præstando fugit. Et hæc fuga quadruplex est, iuxta quadruplicem inuasionem lupi, in ouile Christi. Nam quicumq; verbi minister, vlla de causa se non opponit sophisticæ, tyrannidi, flagitijs, hypocrisi: is mercenarius est & non pastor.

Pastor enim verus, primùm opponit se sophisticæ, defendendo veram doctrinam, & reprehendendo confutandoq; falsam. Sed mercenarius ad hanc lupi inuasionem timet, non audet defendere veram doctrinam, ne aliquid de terrenis commodis
amit-

amittat. Quare vel conuiuet ad falsam doctrinam, vel saltem vt deberet non reprehendit. Quod cum facit, fugere dicitur, non quidem corpore, sed animo, quia officium deserit.

SECUNDO, Bonus pastor opponit se tyrannidi, cum voce, tum precibus. Mercenarius verò tyrannis adulatur, & vicia virtutis larua induit, quo nihil vtilitatis est.

TERTIO, Bonus pastor opponit se flagitijs grassantibus, accusando & excommunicando eos, qui suis moribus peruersis Ecclesiam offenderunt. Contra mercenarius de sua sollicitus quiete, ne hiscere quidem audet. Qua quidem ratione fugere dicitur.

Sed fortè aliquis talis mercenarius obijciat. Ecce hic sum, non fugi. Respondet Augustinus: Quia tacuisti, fugisti: tacuisti, quia timuisti.

QUARTO, Bonus pastor opponit se hypocriti, quando laruam externam hypocritarum detrahit, & ostendit quàm turpis sit facies peccati. Sed mercenarius lupum hunc fugit, non audet offendere quenquam, ne in hominum odia incurrat.

De fuga corporis dico, quòd interdum fit licita, vt antea præcepto Christi & exemplis ostensum est: Idè tum demum, si tyranni persequuntur aliquem, & insidiantur

tur

tur vitæ eius. Hic licet pio pastori fugere manus tyranni, vt postea, si id fieri potest, reuersus, magis profit viuus, quàm mortuus prodesse potuisset.

Illicita autem fuga, est quæ vel priuatæ securitatis causa suscipitur, vel difficultatis tædio attentatur, vel maioris quæstus gratia arripitur. Breuiter, omnis fuga, quæ non habet causas, quas licitæ fugæ esse diximus, illicita censenda est.

Hinc etiam colligi potest, quantum ab his differant fures, & latrones. Hi nec vocati sunt, nec doctrinam afferunt. Fures partem doctrinæ occultant, latrones additionibus suis trucidant. Verum si breuius discrimen memoriæ causa placet, hoc accipe. Pastor quærit quæ Christi sunt: mercenarius quærit quæ sua sunt. Fur occultat. Latro spoliat. Lupus rapit ac dilaniat.

Postquam autem ostendimus (propositis quibusdam titulis, quibus insigniuntur pastores in scripturis sanctis) quàm augustum sit pastoris officium, & in qua re sit in genere positum, ac inde descendimus ad monstranda discrimina inter pastorem, & mercenarium, vt hoc pacto per collationem inquireremus, quantam pastoris curâ esse pro ouibus Christi oporteat, qui summi pastoris ardenti amore inflammatus,
salu-

salutem
am Dei
id quod
Christi

Quò

P R I M
pascere.

D E
pascendi
explicab

Quic

ud est, c
reficere.

ones pas

ficat: ita

bulo pas

malibus

Veru

fcurius e

clarabo,

indicari

Part
di ratio
I.
II. M
III. I
III.

salutem ouium sibi commissarum, ac gloriam Dei & non suam quærit: accedamus ad id quod proposuimus, ac pascendi oues Christi artem & eius partes expendamus.

Quò autem id fieri possit commodius, PRIMVM in genere ostendam quid sit pascere.

DEINDE, partes quibus continetur pascendi ratio enumerabo, atque easdem explicabo.

Quid ergò est pascere? Hoc nihil aliud est, quàm homines verbo vitæ alere, & reficere. Sicut enim terrenus pastor suas oues pabulo pascit terreno, ac fomentis reficit: ita spiritualis pastor, suas oues pabulo pascit spirituali, ac fomentis spiritualibus fouet.

Verum quia hoc in genere dictum, obscurius est, explicatius per partes idem declarabo, vt res euoluta & explicata melius iudicari possit.

Partes itaq; quibus continetur pascendi ratio, sunt hæ:

- I. Docere gregem Christi verbum Dei.
- II. Ministrare illi sacramenta.
- III. Regere ipsum disciplina.
- IIII. Precari pro grege.

v. CV-

- v. Curam pauperum habere.
v I. Formam gregis esse.

Hæ partes, vt officium pastoris indicant: ita illustre discrimen constituunt inter ministros Euangelij, & gubernatores rerumpublicarum, vt non sit opus multis, ad explicandum discrimen, inter politicum magistratum, & pastorem Ecclesiæ. Quod tamen discrimen cum de potestate pastoris dicendum erit, clarius cernetur.

DE DOCTRINA.

IN HAC prima pascendi parte, quæ continet pabulum præcipuum ouium Christi, quod est ipsissimum verbum Dei, quædam veluti elementa (ex quibus docendi ratio componitur) proponam, & declarabo. Sunt autem hæc:

PRIMUM. Quænam sit doctrina, qua pastor veluti spirituali pabulo oues Christi pascet.

SECUNDUM. Qua perspicuitate & simplicitate eadem doctrina sit proponenda, ne frustra in aërem abeat.

TERTIUM. Quæ sit recta doctrinæ sectio, siue orthotomia verbi.

QUARTUM. Quid sit fugiendum pastori inter docendum.

QVIN-

Q
falsæ c
Q
pabulo
pascet
& in P
angeli
enim
quod si
ter har
um pro
pugna
rus Di
tes in p
Hui
stolicis
demon
dum
oportet
opinion
picurei
capitib
es opu
De
tur di
prius
lare se
Ex
P

QVINTVM. Qualisnam improbatio
falsæ doctrinæ in pastore requiratur.

Quænam est ergo doctrina, qua veluti
pabulo quodam spirituali pastor suas oues
pascet? Hæc doctrina est in libris Mosis,
& in Prophetarum, Apostolorum, & Eu-
angelistarum scriptis comprehensa. Hæc
enim sola habet testimonium infallibile,
quod sit à Deo profecta. Quicquid est præ-
ter hanc doctrinam, non est vt necessari-
um proponendum Ecclesiæ Dei. Quicquid
pugnat cum hac doctrina, ipsissimum vi-
rus Diaboli est, qui primos nostros paren-
tes in paradiso decepit.

Huius doctrinæ in Prophetis & Apo-
stolicis scriptis comprehensæ, & certam
demonstrationem de eius veritate, & soli-
dum *σύνταξις*, seu corpus, tenere pastorem
oportet. Illa faciet, vt pastor non fluctuet,
opinionibus Mahometicis, Iudaicis, & E-
picureis. Hoc efficiet, vt doctrinam certis
capitibus comprehensam teneat, ac quoti-
es opus est, ad ista capita confugiat.

Demonstratio doctrinæ Ecclesiæ, niti-
tur duobus certissimis principijs, quorum
prius externum, posterius internum appel-
lare soleo.

Externi testimonij partes sex sunt :

PRIMA. Patefactio diuina multiplex,
L in qua

in qua voce Dei hæc doctrina sæpe est proposita ac repetita.

SECUNDA. Operatio miraculorum, hoc est, operum, quorum autor creatura esse non potuit, sed solus Deus. Hæc miracula addita sunt doctrinæ velut authentica quædam sigilla, quorum *κορυφαίον* fuit missio Spiritus sancti in die Pentecostes, qua veritas Euangelij Christi confirmata est.

Hic utile fuerit pastori omnia miracula, quæ in veteri & in nouo Testamento edita sunt, memoria tenere, vt ea rectius applicare ad vsum, quoties res postulare videtur, possit.

TERTIA. Euentus prophetiarum. Deus quos vocauit immediatè ad ministerium in veteri Testamento, ornauit dono edendi miracula, vt ea essent testimonium diuinæ vocationis. Quando enim euentus respondebat prophetijs, conuincebantur homines de veritate Dei.

Daniel doctrinam pœnitentiæ & remissionis peccatorum proposuit Chaldæis, quam Deus præsentibus auditoribus confirmauit liberatione prophetæ miraculosa à specu leonum: & eandem posteritati commendauit euentu prophetiarum de quatuor monarchijs.

Sic prophetia Iacob de sceptro Iudæ
certi-

certi
it Me
D
confe
dere p
quòd
docue
Q
rum E
nium f
Proph
mias,
ne, ela
phetias
breuib
proph
carunt
is, que
confir
feste co
doctrin
Q
tantis
num.
Port
sus ea
tus c
trin.

certificat nos de tempore, quo nasci debuit Messias.

Diligenter itaq; pastor cum prophetijs conferat euentus. Quos cum videt respondere prophetijs, certum testimoniũ habet, quòd verbum, quod huiusmodi prophetæ docuerunt, habeat ipsum Deum autorem.

QVARTA. Consensus omnium doctorum Ecclesiæ, qui habent diuinitus testimonium suæ vocationis. Quales sunt, Moses, Prophetæ, Helias, Helizeus, Esaias, Ieremias, &c. Christus qui à prima promissione, elapsis ferè 4000. annis venit, & prophetias compleuit: & quæ Moses veluti breuibus aphorismis complexus est, quæq; prophetæ longioribus concionibus explicarunt, ipse clarius docuit, & apostolis suis, quorum vocatio multis miraculis est confirmata, tradidit. Hic consensus manifestè conuincit animos nostros de veritate doctrinæ, quæ sonat in nostris Ecclesijs.

QVINTA. Duratio Ecclesiæ, in tot & tantis furoribus Diabolorum & hominum. Huc Christi dictum accommoda: Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Hanc promissionem cum euentus comprobet, satis conuincimur de doctrinæ certitudine.

S E X T A. Cruenta victoria plurimorum martyrum, qui hanc doctrinam suo confirmauerunt sanguine, atque ideo dicti sunt martyres, hoc est, testes.

Internum principium, per quod demonstratur veritas doctrinae religionis nostrae, est arrhabo spiritus in cordibus piorum, qui obsignat doctrinam.

Hæc demonstratio est doctrinae Ecclesiae, quæ sæpè & seriò cogitanda pastori est, atque alijs commendanda sæpius.

Porrò huius doctrinae *σῶμα* quoddam, & veluti corpus, tenere pastorem oportet, quod huic capiti subijci debet.

Quemadmodum propter peccatum homines (qui ad imaginem Dei creati fuerunt) à Deo damnati, à reatu per fidem Christi liberantur : ita liberati Deum vero cultu in hac vita, in societate Ecclesiae, colere debent, quò tandem resuscitatis corporibus immortalitate donentur.

Ad hoc caput totum doctrinae corpus referendum est, & aptè distribuenda sunt membra huius corporis, & singula suis locis collocanda.

Deinde singulorum membrorum veluti anatomia quædam instituenda est, quæ constabit methodo didascalica, nunc simplici, nunc composita. Singulorum definitiones, diuisio-

diuisiones, descriptiones, exemplaꝝ teneantur, vnà cum aliquot illustribus de singulis membris scripturæ pronuntiatis.

Hoc corpus cum pastor sibi parauit, facile erit, cum vsus postulat, inde docendi materiam petere.

Huius corporis membra, quotidiana lectione fouenda, & veluti alenda sunt: quò crescant in vtilem magnitudinem. Et quæcunque faciunt ad complementum huius corporis, suis locis sunt signanda, vt inde peti possint, quoties res postulauerit.

Postquam pastor hoc doctrinæ corpus instructum habet, proximo loco, qua perspicuitate & simplicitate sit instituendus populus, obseruandum est. Hic si pastor sibi gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ proposuerit, vtili perspicuitati & simplicitati operam dabit. At qui contra faciunt, & suam quærunt gloriam, pompam orationis & *εὐμορφίας λόγων* sectantes, conantur *κοινὰ καινῶς* dicere, quò apud imperitos in maiori sint precio. Vt igitur pastor solius Dei gloriam quærat, & ædificationem Ecclesiæ spectet, omnino necessarium est.

Perspicuitatis hæc præcepta sint:

Primum, summam rerum, de quibus dicturus est, pastor eruditè comprehensam, auditoribus proponat,

L 3

Dein-

Deinde, hanc summam partiatur in partes.

Tùm, partium particulas apud se disponat, ne memoria excidant.

Singula confirmet dictis & exemplis, similibus, & contrarijs.

Posthæc colligat rursus summam, ostendat doctrinæ vsum ac commendet.

Simplicitas requirit, vt rem sæpius eandem inculcet, eadem iisdem verbis semper tradat, quantum quidem id fieri potest: ac hoc potissimum requiro in doctrina Catechismi, quæ debet esse simplicissima.

In fine concionis repetat præcipua concionis membra, ac ea accommodet auditoribus, exhortando, consolando, accusando, monendo, pro vt intellexerit opus esse. Etsi autem hæc doctrinæ accommodatio utilis est in tota concione: tamen eius proprius locus in peroratione est.

Verum quoniam frustra docetur voce hominis, nisi Spiritus Dei corda audientium mouet: Pastoris est ante concionem, non solum populum hortari ad preces, verum etiam se prosternere coram Deo, & petere vt sibi adesse velit, & suam vocem, ac verba moderari, in auditorum salutem. Poterit autem hac formula vti.

F O R-

FORMVLA PRECANDI, QVA
PASTOR VTI POTEST
CONCIONATURVS.

O DOMINE Iesu Christe, qui perditas
tuas oues precioso sanguine redemisti, pa-
sce, quæso, oues tuas pabulo verbi tui, ac
refice fontibus salutaris doctrinæ tuæ, da
mihi intellectum verbi tui, pone verba tua
in ore meo, & adde illis virtutem, vt eis pa-
scentur oues tuæ. Da soli nomini tuo glo-
riam, AMEN.

Iam quæ sit doctrinæ recta sectio, seu
orthotomia verbi, breuiter explicandū est.

Paulus scribens Timotheo, vult Episco-
pum ὀρθοτομῆν, hoc est, rectè secare verbum
veritatis. Nam quemadmodum medicus,
non cuius morbo adhibet quodlibet reme-
dium, sed pro ratione morbi remedium
temperat & accommodat: sic singularis
prudencia requiritur, in verbi Dei accom-
modatione. Nam alij alijs vicijs laborant,
& non eisdem malis omnes premuntur.
Si hîc promiscuè omnia fiant, quid boni
sperandum?

Christus legisperito non sentienti pec-
catum suum, legem proponit, dicens: Si
vis ad vitam ingredi, serua mandata. Alij
dicit: Si vis perfectus esse, vade & vende

quæ possides, & da pauperibus, &c. Pharifæis & Scribis dicit: Vah vobis Scribæ, Pharifæi, hypocritæ, &c. Sentientibus peccati sui molem dicit: Huc omnes qui laboratis & onerati estis.

Hanc prudentiam in secando verbo veritatis, qui non adhibet, operam ludit. Aliter enim agendum est cum securo hypocrita, aliter cum afflicto peccatore, aliter cum flagitiosis, aliter cum honestè viuentibus, aliter cum ignaris Euangelij, aliter cum doctis Euangelium, aliter cum desperantibus, aliter cum firmis, &c. De hac ergo orthotomia iam præcepta quædã subijciemus.

Omnis cum quo pastor aget, aut est docendus, aut mouendus.

Si est docendus, aut est sapiens, & doctus iuxta mundum: aut simplex, & rudis. Vterq; aut tangitur sensu peccati, aut tumet sua iusticia.

Si mouendus est, aut est doctrinæ hostis, aut doctrinam publicè profitetur. Si doctrinam profitetur, aut alacrior est in cursu, aut segnior, aut est hypocrita, aut malè viuit, aut premitur aliqua cura, idq; vel animi vel corporis.

Pro hac auditorum diuersitate, doctrina accommodanda est: & facilè est videre, quòd si quis apud hos eadem docendi
forma

forma vteretur, perinde faceret, ac futor, qui ad vnam formam pueris & senibus, magnis & paruis, calceos pararet.

Quomodo ergò singulis horum generũ doctrina adhibenda sit, conabor ostendere.

Si itaq; docendus à pastore est aliquis, spectandum est, vt dixi, an sit sapiens & doctus iuxta mundum: qui si fuerit docilis, & sua sponte docenti credit, expositione est informandus in ijs, in quibus doceri cupit. Sic Nicodemus qui ad Christum noctu venit, cupiens de salute sua doceri, expositione potissimum instruitur à Domino, vt habetur Ioannis tertio.

At si docilis non fuerit, hoc est, si se doctrinæ opponit, occupante animum contraria sententia, argumentatione est conuincendus.

Hac forma docendi vsus est Paulus, docens Romanos & Galatas, homines sola iustificari fide.

At si docendus est simplex & rudis, melius exemplis trahitur, & parabolis allicitur, quàm syllogismis impellitur.

Christus docturus rudem populum, quæ sit iusticia hominis coram Deo, & qualem sit iustificati officium erga proximum, proponit parabolam de quodam qui debuit domino suo decem milia talentorum:

L 5 cui

cui cum non haberet quod solueret, petenti tota summa est condonata. Sed postea cum idem durus & crudelis sit repertus aduersus conseruum, reuocatur ad pœnam.

Hæc parabola simplicissimè docet, quòd iusticia Christiana sit remissio peccatorum, & acceptatio diuina gratuita. Quæ remissio tum demum impetratur, quando peccator prosternit se coram Deo, & petit ex fide condonationem. Deinde crudelitas in conseruum docet, quòd iustificatus debeat diligere proximum, studere innocentia, ne ingratus reuocetur ad pœnam.

Si docendus tangitur sensu peccati, & luctatur cum desperatione, exemplo Christi mox informandus est de gratia, & scripturis & exemplis ostendendum, quòd omnes fugientes ad Christum in eo vno habeant remissionem peccatorum. Et potest pastor huiusmodi vti formula.

Mi frater, sentis onus peccati, quod sane graue est. At Christus venit & tuum peccatum suis humeris imposuit, &c. Sed de hac re alio loco.

Si tumet quis iusticia legis, non est Euangelium ei proponendum: priusquam fulmine legis fuerit prostratus. Qui enim aut pœnitenti proponit minas, aut tumentis fiducia sui, proponit iusticiam Euangelij, perin-

peri
ocu
eam
ocu
denc
H
mou
H
natio
C
stus, c
tories
E
bus pr
cecidit
egerit
C
emplo
empla
Qu
su alac
magis
defici
posita
ius sa
ea me
ant, a
prop
D

perinde facit ac si quis medicinam paratam oculis, apponeret pedibus: & contra eam, quæ esset parata pedibus, affricaret oculis. Qui sanè meritò ab omnibus deridendus esset.

Haftenus de docendi via. Sequitur de mouendi modis.

Hostes doctrinæ terrendi sunt comminationibus, exemplis, & collationibus.

COMMINATIONIBVS agit Christus, dum Pharisæis vñh, vñh, Matthæi 23. toties inculcauit.

EXEMPLIS Lucæ 13. vbi impœnitentibus proponit exemplum eorum super quos cecidit turris. Nisi, inquit, pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

COLLATIONIBVS contrariorum exemplorum, vt Christus cum proponit exempla epulonis & Lazari, &c.

Qui doctrinam profitetur, & est in cursu alacrior, hortatione est incitandus, vt magis magisque abundet, & in cursu non deficiat. Ostendat pastor coronam propositam esse legitimè currenti. Multa huius sancti cursus exempla recitet. Præterea moneat vt diligenter sibi in cursu caueant, à tribus hostibus, Diabolo, mundo, propria carne.

DIABOLVS insidiatur currentib. varijs modis,

modis, sed repellendus est gladio spiritus, quod est verbum Dei.

MUNDVS insidiatur sua vanitate, sed hæc ad meditationem cœlestium bonorum euanescet.

CARO varijs illecebris cursum impedire nititur, sed spiritus imperio est subigendus.

Breuiter, aduersus omnes hostes, qui currentes impedire volunt, fortissima turris est nomen Domini, ad quam confugiet iustus & saluabitur.

Si in cursu quis segnior fuerit, stimulis excitandus est, exemplis vrgendus, turpitudine torporis, & segnitiei commouendus, collatione currentium pro assequendo brabio marcesibili & perituro, & currentium pro corona immarcesibili. In hunc usum proposuit Dominus exemplum dispensatoris, & Paulus eorum qui in stadio currunt. Ostendendum quòd cessatio, aut segnities non multum à defectione differat.

Quare quotidie magis magisque excitandus est animus ad cursum. Sic futurum est vt quæ in principio fuerunt difficiliora, consuetudine fiant facilia.

Hypocrita cum mouendus est, detrahenda est ei externa larua, qua se ostentat, & ostendendæ internæ fordes quibus fœtet.

tet. Et quoniam conscientia hypocritæ est veluti sopita, excitanda est flabello legis, & prouocanda ad tribunal Dei exemplo Iohannis Baptistæ & Christi.

Sunt autem hypocritæ durius tractandi, propterea quòd hoc hominum genus securius sibi blanditur, ac se quodammodo titillat propriæ iusticiæ opinione.

Et quia maximè hærent hypocritæ in operibus externis, ostendendum est ijs quàm procul absint, cum à legis iusticia, tum à Christi. Illam habere non possunt, quia spiritualis est lex, illi autem carnales. Hac exciderunt, quia nemo iusticiæ Christi particeps esse potest, qui suam tanquam reiectamentum non habuerit. Quemadmodum diuus Paulus suo exemplo docet, Philip. 3.

Qui malè & flagitiosè viuunt, vt qui perpetuis heluationibus se dederunt, aut auarè rem agunt, aut libidinosè viuunt, aliter tractandi sunt.

Nam qui in horum numero est, vocandus est ad examen legis Dei, & ostendendum quàm apertè se opponat Deo.

Deinde, comminationes legis sunt proponendæ.

Tertiò, ostendenda sunt exempla iræ Dei aduersus peccatores, quorum multi abrepti sunt in perpetuas pœnas, vt Cain, Saul,

Saul, Achitophel, & infiniti alij.

Quartò, docendus est talis, quòd frustra gloriatur de Christo, qui vitam in melius non commutat.

Quintò, quòd seipsum priuet benedictione Ecclesiæ & precibus.

Sextò, quòd vt proditor castrorum Christi, militet Satanæ.

Septimò, quòd quo diutius differat pœnitentiam, eò sit difficilior.

Octauò, quòd subito exardescat ira Dei, & quod nesciat homo, quo momento & quo medio sit hinc tollendus, quòd peccatum vnum mox aliud suo pondere secum trahat.

Hæc sunt diligenter inculcanda flagitiosè viuentibus, idq; animosè & prudenter, exemplo Nathan prophetæ, Helix, Baptistæ, Christi.

Qui putant satis esse, vicia in genere arguere, vehementer errant, & officium non rectius faciunt, quàm medicus qui de morbis quidem multa facit verba, sed læsis membris, medicinam non adhibet.

Et quia in hac re non parum pleriq; ministri verbi peccant, excitandi sunt comminationibus Dei, qui minatur se sanguinem eorum, qui pereunt requisiturum à pastoribus, qui peccantes non arguerint.

Qui

Qui premuntur aliqua cruce, aliter tractandi sunt: idque pro crucis diuersitate & eiusdem causis.

Vt autem hęc medicina recte applicari possit, obseruanda sunt tria:

PRIMUM, quis sit ille qui cruce premitur.

SECUNDUM, quid sit quod premit, seu quale crucis genus.

TERTIUM, presentis dolori rite medicinam accommodare.

Qui premitur cruce aliqua, aut pius est, aut impius.

Si pius est, statim indicata communi filiorum Dei forte consolationibus erigendus, confortandus ac fouendus est.

Ac primum ostendere oportet malum istud, non casu, sed voluntate Dei contigisse, iuxta illud: Non est malum in ciuitate, quod non operatur Dominus. Loquitur autem propheta non de malo culpę, sed de malo pęnę.

Deinde, ostendat pastor, quod Deus promiserit se affuturum ijs, qui sub cruce ad se clamant, iuxta illud: Inuoca me in die afflictionis, & ego exaudiam te.

Quare pastor hortabitur pius, & ad feriam inuocatione, vt Deus crucem vel tollat, vel leuet aliquo modo & mitiget, & ad con-

ad constantiam & patientiam, ne crucis acerbitate fractus abijciat confessionem.

Huc addat sanctorum exempla, quorum nullus adhuc fuit in mundo, qui morsum serpentis non sensit.

Postremò adiungat commonefactionem de causis crucis, & conferat exemplo Pauli, præsentis ærumnas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga filios Dei.

Huiusmodi consolationibus erigatur pius, qui cum aliqua cruce luctatur. Et hoc fit generale & catholicum remedium.

Sin impius fuerit qui affligitur, maiorem curam, vt in grauiori morbo, adhibere necesse est. Nam qui statim impium hominem conatur erigere consolatione, perinde facit ac is qui foris obducit vulnus, & intus relinquit saniem: vnde maius periculum imminet.

Quare pastor bonus, vbi in impium & impœnitentem, qui affligitur aliquo malo, incidit: omnium primùm fulmine legis huiusmodi hominem deijciat, nec prius cesset, quàm is, cum quo agit, fassus fuerit sine hypocrisi suam impietatem, & iram Dei in se concitatum agnouerit, clamaueritq; cum Manasse, se multis modis reum esse. Atq; ita producenda est foràs peccati sanies, priusquam foris medicina adhibetur.

Secun-

Secundum, quod in consolationibus spectandum dixi, est crucis genus. Nisi enim hoc diligenter expendatur, non poterit medicina peritè fatis adhiberi.

Malum ergò quod premit, aut sua culpa quis sibi accersuit, aut aliena culpa illatum est.

Si quis autem sua culpa sibi malum accersuit, uti infamiam, paupertatem, morbum, exilium, mortem, &c. non statim medicina est adhibenda, nisi fortè reus serio peccatorum sensu tangatur. Tum enim iste peccati sensus magis, si videbitur opus esse, est excitandus, ac confirmandus verbo Dei. Deinde ad consolationes descendendum est, hoc modo. Ostendat pastor in huiusmodi cruce iudicium & misericordiam Dei declarari.

Iudicium est, quòd Deus punit peccatum, quod omnino rectum & iustum esse fatebitur reus. Ideo dicit Christus: Noli peccare, ne quid deterius tibi accidat.

Misericordiæ testimonium est, quòd Deus castigat errantem. Nam ideo hoc fit, ut conuertatur, iuxta illud I. Cor. II. Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Hoc iacto fundamento in animo eius, qui sua culpa crucem sibi accersuit, adhibendi

M

bendi

bendi sunt loci consolationum, de quibus modo memini.

At si vel hypocrita fuerit qui cruce premitur, aut alioqui impius, tantisper maledictione legis & declaratione iræ Dei est deiiciendus, donec & peccati sui atrocitatem agnouerit, & illud sibi ex animo dolere confessus fuerit. Quod si eò lege Dei & minis iræ diuinæ adigi nequit, non est margarita proijcienda ante porcos, neq; sanctum dandum canibus.

Verum si perductus fuerit reus in sui cognitionem, & vero doloris sensu ob peccatum admissum tangatur: tum demum arte medicina adhibenda est, & exponenda sunt ordine hæc tria: Lapsus, pœna, & finis vtriusq;.

Lapsus ex eo primùm prouenisse docendus est, quòd timorem Dei abiecerit. Hoc ostendi potest ex primo ad Romanos capite. Deinde docendus est, quòd abiecto timore Dei facilius in ipsum tanquam in inermem, insidiæ Diaboli, caro, & improbitas mundi præualere potuerint.

His causis lapsus indicatis & confirmatis, pœnam ostendere oportet, nequaquam parem esse peccato commisso, sed esse tantum testimonium duarum diuersissimarum rerum, nimirum iræ Dei, & eiusdem paterni fa-

ni fauoris & clementiæ. Iræ quidem, si non egerit reus pœnitentiam, & non sciuerit se corrigi ferula Dei. Paterni vero fauoris, si correptus emendetur plaga, & ad pœnitentiæ portum confugerit.

Finis postremo loco excutiendus est, cùm lapsus, tum pœnæ: lapsus quidem, vt posthac homo sit cautior: pœnæ vero, quòd singulari consilio Dei (cum interim multis impijs & sceleratis parcitur) sit castigatus, non vt pereat, sed vt habeat paratum testimonium paterni fauoris erga se.

Verum quia hoc difficilius persuadetur laboranti sub cruce, testimonia & exempla ex verbo Dei clara & perspicua, producenda sunt.

I. Corinth. II. dicit Paulus nos rebus aduersis à Domino corripì, ne cum hoc mundo damnemur. Ecce finis crucis hic statuitur, ne damnemur: si scilicet admoniti cruce, egerimus pœnitentiam.

Prouerb. 3. Fili mi (inquit Salomon) ne respuas correptionem Domini, neq; afficiaris tædio cum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus corripit, & quem castigat, velut pater filium amplectitur.

Hebræ. 12. dicuntur spurij esse non filij, qui sunt extra disciplinam.

Huiusmodi plura testimonia coacerua-

M 2

bit pa-

bit pastor, quibus persuadebit reo, quæ sit Dei paterna voluntas in cruce.

Exempla sunt complura: vt Manafsis, sororis Mosis, Daudis, regis Vsiæ, populi in captiuitatem abducti, & plurimorum aliorum, qui ob certa peccata puniti sunt, & postea per pœnitentiam sunt reuersi. Insigne præ alijs latronis exemplum est, qui præclarum pœnitentiæ & fidei exemplum edidit. Hic non ideo putauit se abiectum, quia morte ista infami, erat ob scelera sua afficiendus: sed spe in Christum concepta, patienter cõmeritam pœnam subiit.

Porro si aliena culpa illatum est malum, duo facienda sunt. Consolatio adhibenda est, sicuti supra præscriptum est. Et ostendendum, hanc esse sortem filiorum Dei, vt iniurijs Diaboli & mundi sint expositi.

Iam postremo sequitur distinctio eius quod premit. Aut enim animam attingit solum, saluo corpore: aut corpus.

Corpus affligunt morbi, carcer, exilium, &c. Quibus accommodantur ea quæ de consolationibus dicta sunt.

Animorum autem cruciatus, habent varias causas: vt sunt, error, dubitatio, tentatio, desperatio, metus imminentis mortis, dolor ob amissas res. His malis non succurritur eodem pharmaci genere.

Erro-

Errori medebitur pastor, si monstrata veritate erroris causas euerterit.

Errarunt Romani de iusticia. Hunc errorem tollit Paulus, sublatis erroris causis, & monstrata veritate ex verbo Dei.

Erravit Nicodemus, sed Christus eum ab errore liberavit, ostensa veritate, & confutata erronea Pharisei persuasione.

Dubitationi facilius occurritur. Nam dubitatio est cum in vtrunq; promiscuè se habet anitans. Hic vbi pastor ostenderit alterius partis falsitatem, acquiescit qui dubitauit in altera.

Tentatio præcipuè oritur ex cogitatione præteritorum peccatorum, & ex imaginatione stoica de particularitate.

Si tentatio oritur ex cogitatione præteritorum peccatorum, duo faciat parochus.

Primum instituat collationem peccati & misericordiæ Dei. Quantumuis magnum fuerit peccatum, tamen verum est quod dicit Paulus: Peccatum exuperat gratia. Et illud Davidis: Misericordia Domini super omnia opera eius.

Deinde cumulet exempla misericordiæ Dei erga maximos peccatores: quales fuerunt Adam, Manasses, latro, David: & dicat ista edita esse, vt sint testimonia misericordiæ Dei, quæ testantur quomodo De-

us velit cum pœnitentibus agere.

Si tentatio oritur ex imaginatione stoïca de prædestinatione, ea superabitur, si pastor has sequentes regulas commendaue- rit ei, qui se tentari conqueritur.

PRIMA. Non ex ratione, sed ex solo verbo Dei, iudicandum est de voluntate Dei. Dicitur enim ideo verbum, testimo- nium Domini fidele, quia certò testatur de voluntate Dei. Nunc autem hoc verbum dicit: Deum velle omnes homines saluos fieri, & nullos perire. Hoc igitur verbum omnibus imaginationibus stoïcis opponatur. Habetur autem hoc verbum expressè I. Tim. 2. & 2. Pet. 3. & sæpè alibi.

SECUNDA. Promissio gratiæ est vni- uersalis, vt habetur Matth. II. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui cre- dit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Rom. 3. Iusticia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt. Adhæc, Mandatum Christi Mat- thæi 28. vniuersale est: Ite in mundum vni- uersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fue- rit, saluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.

TER-

TERTIA. Non est personarum acceptio apud Deum. Roma. 2. Actorum 10. Ephes. 6. Gal. 2. sed causæ bonæ comprobatio, & causæ malæ condemnatio: idq; iuxta hanc immotam regulam. Deus pœnitentes omnes recipit: omnes impœnitentes rejicit, nulla personarum habita ratione.

QUARTA. In Deo non sunt ponendæ contradictoriæ voluntates. Nam ipse Deus duplex cor damnat. Et Paulus inquit: Deus verax est, omnis homo mendax. Cum ergò scriptura est: Deus vult omnes homines saluos fieri, & Deus non vult vlllos perire, non sunt recipiendæ propositiones quæ contradictoriam voluntatem Deo tribuunt. Falsæ sunt ergò: Deus vult aliquos saluos fieri, & non omnes, si consilium creationis & donati filij respicis. Aliter de euentu iudicandum est, & de voluntate Dei consequente hominum facta.

QUINTA. Gratia superat peccatum, Rom. 5. Hac regula significatur & magnitudo misericordiæ, & præstantia sacrificij pro peccatis peracti. Vt enim conclusit Deus omnes sub peccato, vt omniû misereatur: ita Christi victima sufficiens est ad omnia quantumuis enormia peccata expianda.

SEXTA. Vt in primo parente nostro Adam, totum humanum genus est lapsum:

M 4.

ita

TER-

ita promissio facta Adamo ad totam eius posteritatem pertinet. 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur : ita in Christo omnes viuificabuntur. Hoc dictum non tantum de resurrectione intelligendum est, verumetiam de salutari viuificatione in ijs qui Christum amplectuntur. Vt igitur Adam promissione seminis se erexit : ita & nos porrectam nobis dexteram Dei. Dominum nostrum Iesum Christum, firma fide apprehendamus, quò eius vita & iusticia donati, promissam immortalitatis spem consequamur.

Has regulas pastor diligenter vrgebit, ac eas pluribus scripturæ testimonijs, si opus videbitur, confirmabit.

Audiui de quadam muliere, quæ cum durius ageret cum suis, admonita est de iudicio Dei futuro, vt isto pacto ea reuocaretur à sæuitia. At illa, inquit, si sum prædestinata, saluabor quicquid fecero, & quicquid credidero. Si non sum prædestinata, nec fides, nec opera mihi succurrent.

Hæc imaginatio pugnat cum verbo Dei, & est à Satana profecta. Quare monendi sunt homines, vt testimonio Dei credant, & non humani cerebri imaginationibus à veritate abducantur.

Grauißimus animi cruciatus est desperatio,

ratio, cum qua qui luctatur, dolores inferni sentit. Hæc aut oritur ex imaginatione particularitatis, aut ex cogitatione indignitatis, propter crebros in peccatum lapsus. Hæc tolli nequit, nisi prius sublata causa

Imaginatio particularitatis, superabitur sex istis regulis, quas modò recitavi.

Cogitatio indignitatis, vincitur cogitatione promissorum diuinorum, meditatione præstantiæ victimæ peractæ pro peccato, recordatione sanctorum, quorum quidam horrendis sceleribus contaminari, recepti sunt in gratiam. Et semper in conspectu sit dictum Pauli: Gratia exuperat peccatum. Item: Sanguis Iesu Christi purgat nos ab omni peccato.

Metus impendentis mortis, superatur duabus rebus: fiducia remissionis peccatorum, & fide resurrectionis mortuorum.

Pius igitur pastor cum agit cum morituris, sciat omnem consolationem ex istis duobus capitibus petendam esse. Quæ capita scripturis confirmanda sunt, & exemplis copiosè illustranda.

Et sunt hæc præcipua capita, quæ Paulus commendat Timotheo. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam. Memento Iesum Christum resur-

M 5

rexisse

rexisse à mortuis. Et solet Paulus consolationes petere ex fide resurrectionis, quæ tum demum erunt solidæ, ubi præluceat fides.

Dolor ob res amissas, mitigabitur promissionibus Dei, qui promittit se non derelicturum sperantes in se.

Deinde cogitatione incertitudinis vitæ.

Tum cogitatione consilij Dei, qui sæpe subtractione rerum, suorum animos explorat.

Huc exemplum Iob commodè refertur, & dictum eiusdem: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

Breuitè, Fides facilimè superabit omnem dolorem animi, quamcunq; causam habuerit. Igitur singularis cura pastoris esto, solidum fidei fundamentum iacere in pectoribus suorum auditorum.

Etsi autem loci consolationum quos signavi, omni dolori & cruci adhiberi possunt: tamen peculiarem rationem consolandi eos, qui ob mortem amicorum tristantur, adijciam, locosq; recitabo, quos semper in promptu habeat pastor. Iubeat itaq; pastor mœrentem ob mortem amici respicere.

I. Ad Deum ipsum.

II. Ad mortuum amicum.

III. Ad

III. Ad vniuersalem conditionem
hominum.

IIII. Ad mundum.

V. Ad cœlum.

VI. Ad resurrectionem mortuorū.

Cum ad Deum respicitur, cogitandum est de Dei voluntate, sapientia, iusticia.

VOLUNTAS Dei est, quòd amicus noster sit hinc abreptus. Huic Dei voluntati non licet repugnare.

IUSTICIA Dei est; quod repetat quod dedit. Quid enim iustius est, quàm ut is qui dedit vitam, rursus eandem ad se recipiat, conferetq; quandocunq; illi bonum videbitur.

SAPIENTIA Dei monebit, quòd nihil sit temerè à Deo factum. Ipse enim solus nouit, expediat ne nobis mori, potius quàm viuere. Multos è medio tollit, ne vel ipsi peiores fiant, vel plures in hac vita perpetuantur ærumnas. Mœrens igitur pro amico, se consoletur sapienti & iusta voluntate Dei, cui repugnare impium est.

SECUNDO, vertat cogitationem ad mortuum amicum: cuius conditio multò melior nunc est quàm fuit. Est enim expertus omnis periculi. Nam nec Satan, nec mundus, nec aliud quicquam, poterit iam ipsius salutem impedire. Donec in
hac

hac vita versamur , mille quotidie ferè obijcitur periculis. Neque vlla læticia esse potest , quin aliquem dolorem seu metum habeat admixtum . At qui iam hinc discessit , huius periculi expertus est . Nam quemadmodum qui è difficili navigatione in portum venit , iam securus est , vt qui in portu nauigat : ita qui morte hinc abripitur , veluti in portum delatus est , vt ipsum procellæ mundi amplius obruere non possint . Peruenit enim ad salutis portum . Qui ergo dolet de amico , qui hinc in fide Christi discessit , non videtur amico fauere portum illum quietum , ad quem ipse non peruenit .

TERTIO , cogitet mœrens de vniuersali hominum conditione , cui & ipse obnoxius est . Decretum Dei est ineuitabile , vt omnes hanc vitam morte sint commutaturi , nec scitur qua hora & quo momento . Quare dolere in vno , quod omnibus commune est , nihil est aliud quàm seipsum inutiliter macerare . Quare cum hæc conditio sit vniuersalis , cogitandum potius , quòd vnusquisque Deo obtemperare debeat , quando Deus per suum præconem ad exitum vocat . Neque dolendum est citò fieri , quod quò citius eò melius illi est , qui hinc euocatur . Nam beati qui in Domino moriuntur .

QUARTO , respiciat ad mundum , qui
totus

totu
& pi
falle
totu
nunc
nunc
priu
expo
Q
mum
at, in
omnia
consp
cum in
vt acc
ma ru
ita cor
S
ctione
ne anti
Christu
Ego f
comm
quit :
xiffe :
tra de
H
verita
vt pe

totus in maligno positus est. In hoc virtus & pietas patiuntur: in hoc mille technæ ad fallendum: quocunq; respicis, impurus est totus, & sordescit indies magis magisque: nunc tyranni pacem publicam turbant: nunc hæretici Ecclesiam oppugnant: nunc priuatorum ædes maximis sunt periculis expositæ.

QVINTO, intueatur cœlum, veluti domum propriam, ad quam tendere oporteat, in quo nihil immundi, nihil periculi, sed omnia pura & tuta. Ibi sancti fruuntur conspectu Christi, cuius corpus gloriosum cum intuentur, expetunt ardentibus votis, vt acceleret dies iudicij extremi, quo animæ rursus ad sua corpora redeant, & fiant ita conformes Christo.

SEXTO, cogitet mœrens de resurrectione mortuorum, quæ est veluti commune antidotum aduersus omnia mala. Hinc Christus consolatus est Martham cum ait: Ego sum resurrectio. Huius memoriam commendat discipulo suo Paulus, cum inquit: Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis. Hæc de consolatione contra dolorem pro amicis defunctis.

Haëtenus diximus de orthotomia verbi veritatis, & ostendimus quomodo pastor, vt peritus medicus, debeat pro ratione morbo-

morborem animi adhibere oleum verbi Dei. Iam quid sit fugiendum pastori inter docendum, melius intelligetur.

Paulus I. Timoth. I. duo fugienda pastori admonet, quorum primum est ne alia doceat: alterum, ne attendat fabulis. Illud facit, ne, omissa doctrina diuinitus tradita, proponat pastor Ecclesiæ aliam doctrinam. Hoc, ne curiosas quæstiones agitet, omisis rebus necessarijs.

Vtriusque præcepti ratio hæc est. Ecclesia Christi extruenda est super fundamento Christo, iuxta illud: Aliud fundamentum nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Paulus ad Gal. I. deterreret etiam à temeritate innouandi & noua tradendi, cum bis idem fulmen ei aculatur. Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Pastor ergo memor huius dicti fugiat omnes quæstiones, quæ non faciunt ad ædificationem fidei, quantumuis subtiles esse videantur.

Quærent otiosi homines infinita, ac ipsa ratio multa ingerit: sed pastor sequatur verbum, eo sit contentus, & dicat cum Dauide: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Neque pudeat ipsum, si non possit omnium obiectionum nodos dissoluere.

Hinc etiam intelligi potest, qualisnam impro-

improbatio falsæ doctrinæ in pastore requiratur. Vt enim Paulus cordatè pronunciat, anathema esse, qui aliud Euangelium docet: ita pastor non colludet cum aduersarijs, sed palàm execrabitur falsam doctrinam, monstrabitq; falsitatis causas, & quid mali ex ea in Ecclesiam manat: præsertim cum ea sit natura rerum, quod dato & admissio vel leuissimo in speciem errore, sequantur infinitæ hypotheses falsæ, quemadmodum in papatu vidimus.

Paulus requirit in pastore, vt possit os obstruere aduersariorum. Etiam si autem non possit omnes labyrinthos & strophas explicare: tamen veræ doctrinæ demonstratione refellitur error. Est quidem pastoris & errorem refutare, & conari errantem siue hæreticum in rectam viam reuocare. At si hoc posterius fieri non possit, monet Paulus, vt eum fugiat, tanquam proprio iudicio condemnatum. Orandum tamen pro eo est, vt Deus aliquando ipsum ad suam lucem adducat.

Hactenus dictum est de prima parte, quæ in pastoris officio requiritur: nunc ad secundam accedamus.

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORVM.

SECVN-

SECUNDA officij pastoralis pars est administratio Sacramentorum, in qua quantum attinet ad baptismum, qui est initiale Ecclesiae sacramentum, agat omnia iuxta ordinationem Ecclesiarum, & afferat pastor pium animum: sciat se in loco Christi stare, & eius vice fungi. Nam ipse Christus est qui abluit, vsus pastoris manibus: recitet distinctè lectiones sacras, iuxta ordinationem: oret Christum intimo cordis affectu, vt huic suæ ordinationi assit: commendet baptizatum infantem precibus Ecclesiae, ac seriò admoneat parentes, vt hanc nouam creaturam piè instituunt, caueantq; ne sua culpa aliquid mali baptizato accidat. Hæc sint de baptismo dicta.

De administratione cœnæ maior requiritur peritia. Quemadmodum enim verbum, ita sacramentum cœnæ, visibile Euangelij verbum, debet sanctissimè administrari, & cauendum est hîc pastori, ne communice alienis peccatis. Qui enim potatori, adultero, tyranno, maledico, blasphemo, obscæno, aut alioqui inhonestè & non vt dignum est Euangelio viuenti, porrigit sacram cœnam, corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi: is nobilissimam margaritam Ecclesiae, obijcit suis & canibus, in contumeliam filij Dei. Quo
scelere

scelere nullum est grauius. Chrysoſtomus dicit, ſe potius corpus ſuum daturum lace- randum turpiſſimis modis, quàm vt ſciens & volens velit corpus & ſanguinem Domi- ni porrigere flagitioſo homini, qui viuit abſq; pœnitentia: neq; id immeritò. Nam vbi hoc fit, quadruplex ſcelus concurrit.

PRIMUM enim, manifeſta contumelia fit filio Dei, & multo maior quàm cum cæ- deretur alapis, & expueretur in faciem eius. Grauis Chriſti admonitio eſt, & ſeria: No- lite dare ſanctum canibus.

DEINDE, qui cœnam porrigit homi- ni, quem ſcit pœnitentiam ſeriam non me- ditari, auget ipſius iudicium & damnatio- nem, atq; ita communicat alienis peccatis.

TUM, vulnerat ſuam conſcientiam. Nam manifeſtè facit contra conſcientiam, & verè excutit Spiritum ſanctum: amittit paulatim & alia dona quibus ornatus erat.

PRAETEREA, exemplo multi deterio- res fiunt, & confirmantur in ſua cœcitate, atq; ita paulatim regnum Chriſti euertitur.

Vt interim taceam, ſpectaculum exhi- beri, triſtiſſimum quidem caſtis ſpiritibus, qui in ſacra cœna aſſunt, miniſtrantes ſuo regi: gratiſſimum verò Diabolo, & eius angelis, hoſtibus Chriſti, qui iſtam contu- meliam fieri Chriſto aduertunt.

N

Nihil

Nihil amplifico : expono verè rem ipsam, imo nemo satis grauitatem huius rei explicare oratione potest.

Propter huiusmodi abusum, Paulus testatur Corinthios magna plaga percussos, ac multos concidisse. Nec dubitandum est plurima publica mala, & priuata, hodiè esse pœnas abusus sacratissimæ cœnæ.

At dicat fortè aliquis. Quid mea refert? ipsius res agitur, qui indignè cœnam sumit. Cur ego luerem aliena delicta? Tua permagni refert. Deus collocauit te in sua Ecclesia, vt eam pascas, non vt eam destruas, mactes & dilanies. Quod sanè facis, quando sine delectu pijs & impijs, offers sacrum cœnæ mysterium.

Laudatur meritò Ambrosius, qui ne Theodosio quidem Imperatori pepercit : quem ad sacram cœnam non admisit, priusquam pœnitentiam magnæ illius cladis egit, cuius autor fuit.

Consulo itaq; pastori, vt diligenter discernat inter oues Christi veras, & laruatas : ne sibi iudicium grauius accersat.

Haëtenus breuiter admonui, qui nam sint à sacra cœna arcendi.

Iam quia in nostris Ecclesijs, nemo ad sacram huius cœnæ communionem admittitur, nisi qui antea se suo pastori examinandum

nandi
de exa
quod
parte
P
præte
S
eo, qu
T
Q
Q
amen.
Co
qui est
uanda
quibus
xius el
vicijs
confide
nus: ob
iniunx
tu: an
uerfita
Hæ ig
quam
C
stor du
alicui
primu

nandum exhibuerit: paucis pastori meum de examine consilium communicare volo: quod ut distinctius habeatur, in has quinque partes distribuam: Quæ sunt:

PRIMA. Vitæ eius, qui examinabitur, præteritæ consideratio.

SECUNDA. Colloquium pastoris cum eo, qui ad cœnam se admitti expetit.

TERTIA. Consolatio pœnitentis.

QUARTA. Absolutio.

QUINTA. Admonitio, qua soluitur examen.

CONSIDERATIO præteritæ vitæ eius, qui est examinandus, diligenter est obseruanda pastori. Inde enim intelligi potest, quibus potissimum morbis aliquis obnoxius est. Considerabit ætatem, & quibus vicijs maxime quælibet ætas est exposita: considerabit sexum, artificium & vitæ genus: obseruabit, an coniunx quis sit, an iniunx: an in magistratu, aut sub magistratu: an diues, aut pauper. Nam pro hac diuersitate homines alij alijs laborant vicijs. Hæ igitur circumstantiæ pastori nequaquam negligendæ sunt.

COLLOQUIUM sequitur, in quo si pastor dubitat de confessione, aut profectu alicuius in doctrina Catechismi, omnium primùm requiritur enumeratio decalogi,

symboli apostolici, orationis Dominicæ, & doctrinæ vtriusq; Sacramenti. Hic qui deficit, à cœna arcendus est, donec rectius institutus fuerit. Est enim indignū, eum ad participationem cœnæ Dominicæ admittere, qui elementa pietatis non nouit recitare.

Verum cum quis nouit hæc dextrè recitare, post recitationem, de pœnitentia agatur. Et quærendum est, an vero sensu peccatorum suorum tangatur, & an doleat ipse, quòd Deum suis horrendis peccatis offenderit. Hic si pastor vllos errores noverit in vita eius cum quo agit, debet eos candidè aperire, perinde ac medicus, qui ægroto morbos exponit, quò libentius medicinam recipiat ægrotus, ac sanitati restituatur, quam vnicè expetit. Deinde quæret an se reus emendare velit.

Hoc autem intelligi volo de erroribus communibus, qui non videntur excommunicatione corrigendi. Nam flagitia publicam pœnitentiam requirunt, vel saltem petitionem condonationis ab Ecclesia. Sed de hac re suo loco.

Si offertur mercator, potest pastor de vicijis vsitatis in mercatoribus interrogare. Si iuuenis, quærat de ijs, quæ iuuentuti solent accidere, & sic de alijs.

Porro hîc etiam consulerem, vt propo-
fitis

fitis
tur c
hom
mè in
P
facta
tus t
inde
dicio
nient
Hi
cum c
ro do
rat an
iram I
respo
aduer
debet
firmar
Christi
saluos
lar
LATI
pla, o
pecca
viuat.
(ait I
ratur.
sti esse

fitis præceptis decalogi, ordine quæreretur de obedientia erga singula, qua ratione homo confitens deduceretur commodissimè in cognitionem sui.

Postquam autem peccati confessio est facta, grauibus verbis pastor exponet reatus turpitudinem & magnitudinem. Deinde indicabit, quanta sit ira Dei & maledictio, super peccatores non agentes pœnitentiam.

Hic si animaduertit pastor, hominem cum quo agit, seria duci pœnitentia, & vero dolore propter peccatum tangi, quærat an aliquod remedium aduersus hanc iram Dei & maledictionem nouerit: qui si responderit in solo Christo remedium esse aduersus mortem & damnationem, pastor debet hoc responsum, scripturæ dictis confirmare, & graui oratione ostendere, quòd Christus uenerit in mundum peccatores saluos facere.

Iam tertio loco addet pastor CONSOLATIONEM per dicta scripturæ & exempla, ostendet voluntatem Dei esse, ut homo peccator non pereat, sed conuertatur & uiuat. Ita enim scriptum est: Nolo mortem (ait Dominus) peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Ostendet voluntatem Christi esse, ut omnes laborantes sub mole pec-

cati, ad se veniant. Ait enim: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Ostendet angelis in cœlo gaudium esse ex pœnitentia peccatorum. Ostendet serium & vniuersale mandatum Christi esse, vocari omnes ad pœnitentiam. Ostendet *λύτρον* Christi sufficere pro peccatis totius mundi, ideoque non esse cuiquam desperandum, ob peccatorum suorum magnitudinem. Nam hoc principium immotum est: Gratia exuperat peccatum. Hoc dictum inculcabit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Hæc illustrabit exemplis: atq; in primis vtile esset accommodare exempla personis congruentia, cum quibus colloquium institutum est: vt avaro pœnitenti, exemplum Zachei: aulico, Centurionis: homicidæ, Daudis: meretrici, Magdalenæ: blasphemio, Manassis: pauperi à morbis exhausto, mulieris laborantis sanguinis profluio, & sic de alijs.

ABSOLVTIO quarto loco sequitur. Hic quæret pastor, an confitens Christum sibi propitium esse statuat, & an verè credat in Christum mediatorem. Quod vbi sincerè affirmauerit, pastor inferet eum
iam in

iam
tum
enim
dit in
F
man
sine t
C
& reu
horre
etiam
misi
nunci
æterna
cœlo,
Ego t
torum
nunci
angelic
cio, in
sancti,
Iam
vt cau
nequi
dijs
se in
fodal
ostenc
sapiu

iam in cœlis coram tribunali Dei absolutum esse, & in gratiam receptum. Hæc enim est immota veritas: Omnis qui credit in filium, habet vitam æternam.

Huc addat hanc vel similem formam, manu capiti eius qui absoluitur imposita, sine tamen superstitione.

Cum mi filii non solum te peccatorem & reum agnoscis, seridò dolens quod Deum horrendis tuis peccatis offenderis: verum etiam credis promissioni Euangelij de remissione peccatorum, & voci Christi, pronunciantis eum qui credit habere vitam æternam, & promittentis ratum fore in cœlo, quicquid solutum fuerit in terra: Ego testor te remissionem tuorum peccatorum habere, quam tibi vice Christi annuncio, atq; adeò, vt minister Dei in Euangelio filij ipsius, te absolutum pronuncio, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, A M E N.

Iam quinto loco addatur A D M O N I T I O, vt caueat absolutus ab insidijs Diaboli, à nequitia & malis exemplis mundi, ab insidijs ppriæ carnis: admoneatur, vt exerceat se in pietate, continuè oret, fugiat mala sodalitia, abstineat à crapula & ebrietate: ostendatur præterea, quàm periculosum sit sæpius in eadem peccata relabi: recitentur

exempla eorum, qui lapsi, non sunt reuerfi per pœnitentiam. Adhæc admoneatur de suo officio, vt illud gnauiter agat, neminem defraudet, aut in negotio circumueniat, vt pro ratione suarum facultatum, sit liberalis in pauperes.

Hæc aptari debent pro ratione & conditione eorum, cum quibus agitur.

Atq; hæcenus de secunda parte officij pastoralis. Sequitur tertia.

D E D I S C I P L I N A , Q V A P A -
S T O R S V V M G R E G E M
regere possit.

MAGNA laus est disciplinæ Christianæ, cuius moderatio pastori potissimum incumbit. Quare pastor hîc sedulus sit, ne sua culpa dissolutiores & languidiores redantur auditores.

Via vitæ (inquit Salomon) custodienti disciplinam : & qui diligit disciplinam, diligit scientiam. Idem : Tene disciplinam, ne dimittas eam, custodi illam, quia illa est vita tua. Et rursus : Qui sapientiam & disciplinam abijcit, infœlix est.

Est autem Christiana disciplina assuetudo cum interior, tum exterior, qua homines assuefunt ad pietatem, iusticiam, modestiam, & ad alias virtutes, quæ in officio

officio continentur, ne quid vel errore, vel ignorantia, vel imitatione faciant quod se haud decet.

Huius finis est, vt maneamus in Christo, & non ab eius corpore mystico abscindamur. Si vos manseritis (inquit Dominus) in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Est itaq; amanda disciplina, quæ nos continet in officio, ne à sermone Christi deficiamus.

Porrò disciplina hæc absoluitur instructione & correctione.

INSTRUCTIO præceptis & regulis continetur, quarum mensura est verbū Dei.

CORRECTIO est emendatio errorum incidentium in moribus.

Disciplina, vt ex definitione quam posuimus apparet, est duplex: Interna & externa.

INTERNA est mentis, cogitationum, affectuum, voluntatis. Hæc diligenter commendanda est auditoribus.

EXTERNA est linguæ, gestuum, vestitus, &c.

De vtraq; supra dictum est. Vnde pastor desumat & accommodet auditoribus, quæ congruere animaduertit.

Verùm quia hoc loco potissimum agitur de disciplina Ecclesiastica, quæ ad iurisdictionem pertinet: volo consilium meum pastori breuiter communicare, quod si secutus fuerit, non operam vt spero ludet.

Monui supra, disciplinam absolui duabus rebus, instructione & correctione. De instructione, quæ continetur præceptis vitæ, quæ traduntur in decalogo, nihil hoc loco dicemus: sed tantum de correctione præcepta dabimus.

Nunc autem cum omnis correctio errorum est, modus correctionis ex errorum differentijs dependet.

Sunt autem differentiæ duplices. Quædam enim errata sunt delicta, quædam crimina.

DELICTA, à quibus in hac infirmitate humanæ naturæ nemo tutus esse potest, admonitionibus & castigationibus corrigere studebit pastor. Debet enim diligentem rationem habere vitæ cuiusq;, & statim vbi animaduertit aliquem non recta, vt decet, via incedere, eum mox admonebit, & conabitur reuocare, priusquam in præcipitium ventum fuerit.

CRIMINA, vt sunt libidines, adulteria, tyrannis, vis, sectæ à veritate abducentes, &c. è quibus scandalum publicè oritur,

tur, opus habent asperiore curatione.

Si quis ergò facinus & crimen perpetraverit, pastor facinorosum ad conversionem, seriò & grauter hortabitur: idq; non semel aut iterum, sed sæpius: nec asperè nimis, sed paternè, indicato periculo & scandalo.

Deinde, si frustra laborem admonitionis paternæ suscepisse videtur, alia tentanda est via: vocabitur facinorosus ad consistorium, in quo ad minimum sint duo aut tres vicini parochi, & aliqui ex honestioribus parochianis.

In hoc consistorio, admonendus est facinorosus grauter: ostendendum est ei, quanto scandalo Deum & Ecclesiam offenderit.

Hic aut resipiscit facinorosus, aut manet contumax in suo peccato. Pro hac diuersitate pœnitentis, aut non pœnitentis, agendum est cum illo.

Quomodo agendum est cum facinoroso pœnitente? Facinorosum, qui post admonitionem promittit emendationem, pastor non facilè recipere debet, sine singulari exploratione. Exploratio autem hæc fieri potest hoc modo.

Aliquot diebus post promissam emendationem, pastor vocabit pœnitentem ad se, & se-

& feuerè eum monebit, de ira Dei aduersus peccatum, & ad veram pœnitentiam eum adhortabitur, donec viderit certissima pœnitentiæ veræ signa. Nam qui simulantes pœnitentiam admittunt, ad publicam absolutionem, magno periculo reum exponunt, & non satis grauitè officio funguntur.

Deinde reo significabit, cùm Ecclesiam scandalo conturbarit, publicè veniam ab Ecclesia petendam esse.

Quod si se libenter id facturum promiserit, constituet ei diem certum, qua assumptis aliquot honestis viris coram se appareat.

Adhæc præsentibus testibus interrogandus est reus, an magistratum politicum, & aduersam partem (si scelus est commissum publicum, offendens magistratum, & proximum lædens iniuria,) placauerit. Quod si ait, producet testimonia. Si neget mittendus est ad magistratum, & ad partem læsam, priusquam ad publicam absolutionem admittatur.

His iam ritè & ordine peractis, constituet pastor facinoroso diem, qua compareat in cœtu Ecclesiastico, si publicè factum ipsius innotuit: (alioqui in consistorio aut priuata domo præsentibus testibus potest fieri absolutio) ibi pastor facinorosum collocatum

locatum ante altare, finita concione & admonita plebe, interrogare poterit hoc ordine.

P R I M V M, an fateatur à se commissum, quod illi obiectum est, cuiusq; nomine publicè accusatur.

S E C V N D O, an peccati commissi eum pœniteat, quod & voce & signis testabitur.

T E R T I O, an cupiat redire in amicitiam cum Ecclesia, quam scandalo læserat, & cupiat absolutionem.

Q V A R T O, an seriò constituerit adiuuante Deo, vitam suam emendare, & an hoc se facturum promittat.

Q V I N T O, an seriò ab Ecclesia petat veniam.

Hic potest reo mandari, vt catechesin recitet: quo factò vertat se reus ad populum, & hac oratione petat veniam.

E G O miser peccator, fateor me Deum & Ecclesiam meo peccato offendisse. Quare vos rogo omnes, vt mihi hunc meum lapsum propter Christum condonetis. Promitto adiuuante Deo emendationem.

Huc addat pastor admonitionem, de voluntate Dei recipientis peccatores, & de gaudio, quod est angelis in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, & hortabitur populum, vt ex animo ignoscat
quod

quod commissum est, iubebitque ut cum angelis Dei gaudeant, quod qui perditus erat redierit.

His peractis, interrogabit pastor confitentem, an verè statuatur Deum sibi remittere peccatum suum, & cum respondet verè se id credere, iubebit pastor ut genua flectat pœnitens, ac ita eum absoluat.

ABSOLUTIONIS FORMA.

E GO minister Dei in Euangelio IESU CHRISTI, autoritate Euangelij & mandato Christi, te pœnitentem & confugientem ad misericordiam Dei propter Christum, pronuncio receptum esse in gratiam à Deo, & te absolutum ab omnibus peccatis tuis testor in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen. Vade & noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius fiat.

Hæc disciplina utilis videtur, & digna quæ in Ecclesia prudenter seruetur, vbi facinorosus admonitus agat seriam pœnitentiam.

Huc tamen addo, quod interdum circumstantiæ personæ & facti requirant aliquam mitigationem: videlicet ut pastor tantum deprecetur ab Ecclesia commissum scelus, idque nomine ipsius qui peccauit. Sed hoc relinquo prudentiæ pastoris, qui adifica-

ficationem quæret, & non destructionem, quem in grauibus causis consilio superatendentis regi cupio.

QVOMODO AGENDVM CVM
FACINOROSO NON AGEN-
TE POENITENTIAM
post admonitionem?

QVANDO facinorosus conuictus non agit pœnitentiam, sed pergit in sua contumacia, debet pastor subinde eum admonere, vt tandem pœnitentia ducatur. Quod si frustra fecerit, ad extremum remedium, nempe ad excommunicationem confugiendum est.

Est autem vt communio, ita excommunicatio multiplex, nec melius quæ sit ratio excommunicationis intelligitur, quàm ex cõmunionis collatione. Est itaq; cõmunio triplex: Spiritualis, sacramentalis, moralis.

SPIRITVALIS communio, est quacum omnibus renatis communicamus, & participes sumus Spiritus Christi, vt eiusdem mystici corporis membra, cuius caput est Christus. In hac communione est, quicumq; credit in Iesum Christũ, & retinet fidem & bonã conscientiam. In hac fuit Naaman Syrus, etsi corpore erat in impia aula.

SACRAMENTALIS tantum, est hypocrita-

critarum, qui in sacramentis nobiscum communicant, sicut Iudas cœnæ Domini- cæ cum reliquis discipulis particeps fuit.

MORALIS, est qua homines in ciuili- bus moribus inter se sociantur, siue eius- dem sunt religionis, siue diuersæ.

Huic triplici communioni opponitur triplex excommunicatio: Spiritualis, Sa- cramentalis, Moralis.

SPIRITVALIS EXCOMMVNICA- TIO, est qua excluditur homo à commu- nione corporis Christi mystici, hoc fit naufragio fidei & mala conscientia.

SACRAMENTALIS EXCOMMVNI- CATIO, est qua alicui interdicitur sacræ cœnæ vsus: quod fit propter impœnitentiam.

MORALIS EXCOMMVNICATIO, est qua is qui scandalo Ecclesiam offendit, à societate & familiari cum pijs conuictu arcetur.

Primum genus penes solum Deum est, qui membra mortua abscindit à corpore filij sui.

Secundum penes pastorem est, qui non porriget sacram cœnam, quos nouit uiue- re sine pœnitentia.

Tertium est censuræ Ecclesiasticæ, qua senatus Ecclesiasticus ordine & modo ser- uato,

uato
tent
tion
offi
res
con
abf
tatio
ne:
duci
missi
pecc
tam
ceta v
Chr
pafte
quo
cont
V
depr
hon
per
pri
est.
rare
tesc
bus

uato, excludit aliquem ex suo cœtu per sententiam.

Quantum ad primum excommunicationis genus attinet, parochi siue pastoris officium est, perpetuò hortari suos auditores, vt studeant retinere fidem & bonam conscientiam, ne se ipsi à corpore Christi abscindant. Quarum illa retinetur, meditatione beneficiorum Christi, & precatione: hæc fulcitur quatuor veluti fulcris, fiducia Christi, qua statuitur peccatum remissum esse: bono proposito, quo abijcitur peccandi voluntas: ardenti desiderio, vitam in posterum approbandi Deo: & sancta vocationis cura.

Vt in hac communione corporis Christi spirituali, maneant sui auditores, pastor excubias aget, nihil non faciens, quo eos exhortationibus & monitionibus contineat in officio.

Verùm cum aliquod facinus commissum deprehenditur incerto autore, vt furtum, homicidium, aut quoduis damnum clam perpetratum, pastor debet post concionem, primùm narrare factum, quod designatum est. Deinde, summa cum grauitate deplorare, quod autores talium facinorum delitescant in Ecclesia, & venditent se pro ouibus Christi, & viuis Christi membris, qui

O

tamen

tamen reuera mortui sunt, & exuerunt se Christo suo scelere. Tertio, publicè testabitur eum, qui facinus perpetravit, se mancipasse Satanæ, cum quo æternum peribit, nisi per pœnitentiam fuerit Deo reconciliatus. Quarto, subijciat exhortationem, vt quisquis sit, damnum resarciat, ac redeat ad Deum per veram pœnitentiam, quo rursus viuum Christi membrum fieri possit. Quod si is qui facinus perpetravit aliquando resipiscat, ac ad pastorem veniat, cupiens consilium: Pastor hîc singulari prudentia ager, ac inprimis cauebit, ne prodat alijs quod sibi soli innotuit.

Si furtum designatum fuit, interrogandus est reus, an res adhuc salua sit, an perierit. Si salua est, hortabitur vt restituat clam, quod clam abstulit: sin perijt, interrogandus est, an sit soluendo, an non. Si sit soluendo, pastor circumspectè ager cum eo, qui rem amisit, petetq; vt accepta satisfactione sit contentus. Hic si voluerit esse contentus, pastor à reo acceptam solutionem tradat ei qui damnum passus erat.

At dicas. Quod suades habet periculum non leue coniunctum. Sit fanè ita. Quis, quæso, potest curam Ecclesiæ habere, & rationem salutis singulorum membrorum in Ecclesia sine periculo? si quis
velit

velit te cogere, vt reueles quod tibi innotuit, potius mortem appetito, quàm vt reum prodas.

Verum si reus soluendo non fuerit, ad pœnitentiam tamen est excitandus, & monstrandum, si viderit reum duci seria pœnitentia, quòd gratia superet peccatum, & multis scripturæ testimonijs & exemplis est erigendus, ne desperet: qui cum fateatur se credere remissionem peccatorum, absoluedus est priuatim, & monendus, vt in posterum sibi caueat à Satanæ laqueis.

Porrò, si damno satisfactum fuerit, potest pastor publicè significare, quòd qui furtum aut damnum commisit, ducatur pœnitentia, hortabiturq; populum ad gratiarum actionem, quòd is qui è corpore Christi mystico se excluserat, iam resipiscat, & corpori Christi rursus insertus sit.

Cæterum si homicidium est commissum, pastor rem occultabit quidem, sed hortabitur reum, vt amicorum opera studeat amicos occisi placare. Quod si voluerit, debet pastor dare operam apud magistratum, & eos qui læsi sunt, vt admittant transactionem. Qui si hoc facere noluerint, pastor illis omisis, debet cum reo agere, & longo tempore explorare, an verè eum pœniteat, qui homicidium perpetravit.

uit. Quod cum deprehenderit pastor, ab-
soluat reum ad misericordiam confugientē.

Nec enim debet curator animarum,
regimen Ecclesiæ & politicam administra-
tionem confundere. Non debet alterum
pedem in suggesto, alium in curia habere:
sed suum officium esse cogitabit, omnes
Deo lucrificare, & imitari bonum pasto-
rem, qui non mox mactat ægrotam ouicu-
lam, sed sanat quantum in se est: qui contra
facit, non pastor est, sed lupus potius.

Quantum autem ad secundum excom-
municationis genus, quo quis arcetur à sa-
cramento sacræ cœnæ, attinet, sciat pa-
stor, quòd impœnitentibus, qui consuetu-
dinis causa sacramenta percipere volunt,
non debeat porrigere sacrum corpus Chri-
sti, & sacrum eius sanguinem: quemadmo-
dum supra admonui.

Exempli causa. Si quis vel potator est,
vel auarè agit, vel durius cum vxore aut
familia versatur, aut etiam aliquod aliud,
quod non decet Christianum, sectatur stu-
dium: talis si venerit ad pastorem, non de-
bet ad communionem cœnæ recipi à pa-
store, priusquam pastor viderit emendatio-
nem. Non hîc habebit rationem personæ,
sed ministerij sui, non timebit inimicitiam,
non odium, non amissionem facultatum,
non

non exilium, non mortem, sed Deum timebit, cuius vicem gerit, & Christum, pro quo legatione fungitur. Helias non pepercit Achab impio. Ieremias non fractus est minis tyranni. Ambrosius diadema Theodosij non horruit. Baptista maiestate Herodis non est absterritus. Breuiter, qui hic timore succumbit, non est pastor, sed mercenarius, vt nihil dicam durius.

Restat tertium excommunicationis genus, quod potissimum ad disciplinam & censuram Ecclesiasticam pertinet. Huius fines cognitos habeat pastor. Deinde excommunicationis legitimam rationem teneat.

In omni excommunicatione spectanda sunt tria: Deus, ciues Ecclesiæ, impœnitens homo.

Cum Deum respicis, conandum est, ne cum Dei contumelia inter Christianos nominetur, qui turpem & flagitiosam vitam degit.

Cum ciues Ecclesiæ attendis, hæc cura subibit animum pij pastoris, ne afsidua malorum consuetudine boni corrumpantur.

At cum intueris lapsum & deficientem ab Ecclesia, eò spectabit omnis pastoris conatus, vt reus suffusus pudore resipiscat tandem, ac Ecclesiæ reconcilietur.

Hos tres excommunicationis fines ha-

bebit in conspectu pastor, qui omnes ad ædificationem Ecclesiæ faciunt, ad quam referri debet excommunicatio.

Vt autem legitima ratio excommunicationis teneatur, tenendæ sunt sequentes regulæ.

PRIMA. Pastor solus, sententia in reum à senatu Ecclesiastico non lata, neminem excommunicare debet. Muneris tamen huius est, vt facinorosum ad conuersionem adhortetur. Huius regulæ & ratio & finis spectanda sunt. Ratio est, quia æquitas postulat, vt examinetur res in iudicio, & cognoscatur, priusquam feratur sententia. Finis est, ne vnus affectu res geri tanta videatur: qua ratione facilè in contemptum abiret excommunicatio.

Sed fortè hic obijciat pastor, non talem senatum constitutum esse in his locis, vt ab eo feratur contra facinorosum sententia. Equidem fateor me optare ordinarium senatum, penes quem censura morum esset, sed vix id sperare possum in hac turba & senecta Ecclesiæ. Quare pastori hoc do consilium, vt loco senatus deligat sibi tres ad minimum viros cordatos & pios, cum quibus conferat, & quorum sententiam audiat. Verum si pastor in sua parochia neminem habet, cuius consilio in
tanta

tanta re tutò vti poterit, rem deferat ad præpositum, & duos alios pastores eius prouinciæ, in qua habitat pastor: coram his compareat facinorosus, ac examinetur. Hi conuictum hortentur ad pœnitentiam. Qui si supplex pœnitentiam promittit, agendum est cum illo, vt supra ostensum est. Si autem non resipiscat conuictus, semel atq; iterum è suggesto significetur, esse hominem talem qui contumaciter se gerit, post piam & paternam admonitionem, & conuictionem criminis: & simul hortetur pastor populum ad preces pro facinoroso, vt Deus illum conuertere dignetur.

At si iste adhuc permanferit contumax, iterum sistendus est coram deputatis censoribus, à quibus grauissimè admonebitur, additis minis. Quod si adhuc manserit rebellis, non amplius conuiuendum est. Hic putridum membrum ense Ecclesiæ resecandum est, ne pars sincera trahatur. Hic locum habebunt noti versiculi:

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile:

Ne maculet alias est separanda grege.

Proximo itaq; die Dominico excommunicationis sententia publicabitur. Hoc modo.

S E N T E N T I A E X C O M M U N I C A T I O N I S .

O 4

C H A-

CHARISSIMI fratres, notum est vobis (proh dolor) quomodo quidam de nostro cœtu N. nomine, Ecclesiam nostram scandalo offenderit, perpetrando N. Qui etsi à me pastore suo priuatim est admonitus, non semel, sed aliquoties, & apud senatum Ecclesiasticum conuictus est de suo flagitio, quod vobis etiam publica fama innotuit: manet tamen contumax & rebellis, nec vlla pœnitudine sui flagitij tangitur. Quapropter cum se à spirituali corporis Christi communione absciderit, nec admonitus & obiurgatus resipiscat: Ego minister Euangelij, autoritate & mandato Christi, vobis mecum in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis, declaro istum N. qui ita se subiecit Satanæ, exclusum esse ab Ecclesia filij Dei, ac eum fugiendum tanquam ethnicum pronuncio, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Amen.

Iam vos fratres dilecti, caute ne commercium habeatis cum isto. Sit vobis donec resipiscat, veluti ethnicus & publicanus, qui sua culpa ius ciuitatis Christianæ ac familiæ Dei amisit: vt vel isto pacto, eum tandem sui flagitij pudeat, ac resipiscat. Vos insuper oro, vt vigiletis & oretis, ne Diabolus aliquem vestrum simili laqueo capiat: vtq; caueatis ab istius consortio,
ne eius

ne e
inin
inde
tus,
imò
huc
reue
& p
nost
ange
quo
pos
iust
prec
rest
sequ
Ecc
P
graff
hoc
mess
Nor
exif
fo if
bene
enim
tium

ne eius veneno inficiamini. Neque tamen ut inimicum eum ducatis, sed admonete subinde ut resipiscat.

Cum autem huiusmodi excommunicatus, sit iam tanquam ethnicus & publicanus, imò Satanæ mancipium, debet pastor adhuc operam dare, ut eum à sua via pessima reuocare possit. Nam ut Christus ethnicos & peccatores inuitat ad pœnitentiam: ita nostrum officium est, qui in ministerio Evangelij sumus, ut perpetuò operam demus, quò aberrantes ab ouili Christi reuocare possimus. Non ergò debemus odisse huiusmodi, sed eius vicem dolere, Deumque precari ut mortuum viuificet, ac perditum restituat.

Huc adiiciam regulas duas, quas utiliter sequi poterunt censores morum, ac iudices Ecclesiastici.

PRIOR est de peccatis in multitudinem grassantibus, qualia sunt (proh dolor) in hoc regno, ebrietas, luxus vestium, comestiones, &c. de his sequenda est regula. Non asperè (inquit Augustinus) quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine peccantium. Hæc regula concluditur ex finibus

excommunicationis supra positis. Nam si hic pastor excommunicationis fulmen mitteret, magis turbaret paucos bonos infirmos, quam corrigeret multos animosos malos. Interim tamen pastor non desinet ea damnare, quæ Deus sua voce damnat.

POSTERIOR regula est de paucorum flagitijs. Seueritas exercenda est in peccata paucorum. Iusta huius regulæ ratio est. Nam & hac ratione castigantur pauci, qui peccarunt, & multi infontes sibi in posterum melius cauent.

Pastor autem regulam Augustini sequatur: In corripiendis fratribus misericorditer corripiat homo, quod potest: quod autem non potest, patienter ferat, ac cum dilectione gemat ac lugeat. Item: Quisquis (vt ait idem sanctus pater) quod potest arguendo corrigit: vel quod corrigere non potest, saluo pacis vinculo excludit: vel quod saluo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic à maledictione liber & solutus est. Ita enim eradicanda sunt zizania, ne frumenta lædantur.

Hoc consilium Augustini sequantur pij pastores in hac peruersitate morum, omniferè disciplina eneruata.

Hæc sint dicta de modo regendi Ecclesiam

fiat
ne p
aliqu
& g
dum
D
Q
exem
lorur
hoc e
verbi
bus a
gemit
sto ce
sibus
Deo
dum
mus:
notat
est, si
gi eu
plo e
dirig
tater
solet
ni fer
sanct

fiam externa disciplina. Nam de indi-
 ctione precum, ieiunij publici, non est quod
 aliquid præscribam, nisi quod edicto regio,
 & gubernatorum Ecclesiæ, obtemperan-
 dum censeam.

DE PRECATIONE PASTO-
 RIS PRO GREGE.

QVARTA pars officij pastoralis, est,
 exemplo Christi, prophetarum & aposto-
 lorum, oratione suum gregem pascere:
 hoc est, vt gratias agat Deo cum fructum
 verbi videat, & oret Deum, vt suis conati-
 bus aspiret in salutem gregis, ac perpetuis
 gemitibus gregem principi pastori Chri-
 sto commendet. Apostolus Thessalonicen-
 sibus scribens ait: Gratias agere debemus
 Deo semper pro vobis fratres, quemadmo-
 dum dignum est. Primo loco dicit, debe-
 mus: qua voce debitum officium pastoris
 notat. Deinde ait: quemadmodum dignū
 est, significans indignè pastoris officio fun-
 gi eum, qui hoc debitum non soluit. Exem-
 plo ergò Pauli pastor orabit, vt Dominus
 dirigat corda suorum auditorum ad chari-
 tatem Dei, expectationem Christi, vt con-
 soletur corda eorum, & stabiliat eos in om-
 ni sermone & opere bono, vt dignetur eos
 sancta illa vocatione, ad quam per Euan-
 gelium

gelium vocati sunt, & compleat omnem suæ bonitatis gratuitam beneuolentiam, & opus fidei potenter: vt glorificetur nomen Domini nostri Iesu Christi in ijs ex gratia Dei nostri.

Aget & gratias Deo pastor, quando animaduertit augescere fidem auditorum suorum, & abundare mutuum inter ipsos charitatem.

Etsi autem multæ incidunt necessitates, quæ ardentem inuocationem requirunt: possunt tamen preces pastoris in quatuor ordines distribui, vt primus sit, pro sanctificando nomine Dei, per totum orbem terrarum. Secundus, pro gubernatoribus rerumpublicarum in vniuersum. Tertius, pro Ecclesia sibi commissa. Quartus, pro vt casus se offerunt varij, & tempus postulat. Huc aliquot exempli causa formulas subijciemus.

F O R M V L A P R E C A N D I P R O
S A N C T I F I C A N D O N O M I N E
Dei, per totum orbem.

D E V S misericors Pater, Pater Domini nostri Iesu Christi, ago tibi gratias toto pectore, quod tibi eligas Ecclesiam in vniuerso orbe: vt sit templum, tuum nomen celebrans, precor suppliciter, vt auertas &
in nihi-

in nihilum redigas omnium hominum & Diabolorum technas, qui vel opera tua vel virtutes obscurare volunt, vel tribuunt hominibus aut Diabolo quod tuum est.

Auerte, quæso, corruptelas doctrinæ cœlestis & sacramentorum, tyrannidem impediendum cursum Euangelij, hæreses, & alia quibus vera tui noticia, vel corrumpitur, vel omnino aboletur: auerte epicureum contemptum tui nominis, barbaram negligentiam, academicam dubitationem, stoicam ἀσoεγiav: auerte ingratitude omnium hominum, qui te Deum vel non agnoscunt, vel agnitum non prædicant.

Auerte prophanam vsurpationem nominis tui, hoc est, impuritatem morum, & nominis tui sacrilegam vsurpationem: ac præsta, quæso, vt in toto terrarum orbe, sanctificetur nomen tuum: vt secundum opus tuum, sit nomen tuum: vt secundum nomen tuum, sit apud omnes nationes terræ noticia tui: vt secundum noticiam ex verbo & operibus tuis, sit fiducia omnium hominum in te: vt secundum fiduciam, sit laus tua, & celebratio in omnes fines terræ: vt secundum laudem nominis tui, sit eiusdem vsurpatione inter homines, per veram inuocationem, prædicationem, confessionem. Quæ quia sine verbo haberi non possunt,

possunt, mitte tua dona de cœlo, conserua ministerium, verum vsu sacramentorum, & sanctam disciplinam: precor vt indies magis ac magis accrescat numerus ciuium regni tui, quo tuum nomen latè propage- tur ac celebretur. Tibi soli Deo, qui es Pater, Filius, & Spiritus sanctus, sit ho- nor, virtus & gloria, in secula seculorum, Amen.

F O R M V L A P R E C A N D I P R O
M A G I S T R A T V, E T A L I I S
vitæ necessitatibus.

O M N I P O T E N S æterne Pater, in no- mine filij tui te inuoco, ac precor vt auer- tas bella, conserues leges & iudicia, impe- dias ἀταξίαν in omnibus ordinibus ac sta- tibus hominum. Auerte, quæso, morbos, sterilitatem terræ, ethnicam sollicitudinem, & asininam ignauiam: fac ne irretiamur tentationibus, & laqueis Diaboli, ob cupi- ditatem rerum huius vitæ. Auerte cyclo- picam ingratitude, & abusum rerum, ne tuis donis in luxum, voluptatem, ebrie- tatem, superbiam, & contemptum paupe- rum abutamur. Breuiter, auerte omnem iniuriam creaturarum tuarum, quas nobis dedisti, vt illis vtamur in tuam gloriam & nostram vtilitatem, in vero timore nomi- nis

nis tui cum gratiarum actione. Da bonos & fideles rerum publicarum gubernatores, tuere omnes status, a suis imperijs, æconomij, & politijs. Da regi nostro, Spiritum sanctum tuum, & sapientiam: da senatoribus regni salutaria consilia: concede prosperam valetudinem: fecunda terram, da commodas tempestates, pluuiam, & serenitatem, pro rerum nascentium commoditata: largire fructibus terræ virtutem, per tuam benedictionem: fac ut patres familias gubernatores rerump. & alij, singuli suum officium faciant, in timore tuo, & sancta quadam cura. Da ut nostra sorte contenti, nostris facultatibus, cum in nostrum bonum, tum in aliorum commodum, & potissimum in tuam gloriam rectè utamur, cum summa gratitudine, inuocatione tui nominis, gratiarum actione, ac beneficiorum tuorum prædicatione. Tibi sit honor, laus, gratiarum actio, in secula, Amen.

FORMVLA PRECANDI PRO
ECCLESIA PASTORI
COMMISSA.

CLEMENTISSIME Pater cœlestis, cū Ecclesia filij tui sit tuus ager, & tuum sanctum verbum sit semen viuum: auerte, quæso, Diabolum, seminantem zizania falsæ doctrinæ

doctrinæ & prauorum morum, ne nomen tuum apud profanos profanetur & blasphemetur: ædifica spirituales montem Zion, & Ierusalem cœlestem: inspira singulorum mentibus veram noticiam tui: rege cogitationes nostras tuo verbo: accende affectus puros & castos: reforma magis magisque voluntatem omnium: da ut omnes caueant scandala, ut omnes pietati erga te, & mutuae dilectioni studeant. Augere spem in omnibus promissorum bonorum, daque ut tandem per Iesum Christum beata immortalitate donemur, Amen.

Reliquus est ordo precationum, quas tempus & casus varij offerunt: quarum formulæ commodè præscribi non possunt. Ut ergo tempore & casu res offeruntur, ita pietas pastoris prorumpet, nunc in gratiarum actionem, si quid læti affertur: nunc in preces, si quid necessitas exigit præsens.

DE CVRA PASTORIS PRO PAUPERIBVS.

QVIBVS rationibus pastor impelli debeat, ad præstandam eleemosynam de suis facultatibus, supra, cum de pastoris domestica disciplina ageremus, dictum est: easdem rationes accommodet ipse auditoribus suis, & sit sedulus, curet ut sint fideles pro-

les procuratores pauperum, vt sint liberales ad conferendum pro ratione facultatum, vt sit recta distributio, ne quod collatum est personis indignis conferatur.

In hac ergò re sit diligens pastor, cogitetq; officium suum esse, vt exemplo apostolorum, curam pauperum, præsertim domesticorum fidei, habeat.

Porro quatuor sunt genera pauperum, quorum curam oportet pastorem habere.

Horum PRIMVM est fratrum, qui exultant propter confessionem, aut alioqui fortunis spoliati sunt. Horum magnam curam habuisse apostolos testantur Epistolæ ad Galatas, Romanos & Corinthios. SECUNDVM genus est scholasticorum, qui opus habent præsijs, ad continuanda studia Ecclesiæ utilia. TERTIVM genus est mendicorum, qui ostiatim victum quærunt, quorum (proh dolor) nimis magnus numerus est. QUARTVM est pauperum, qui tametsi publicè non mendicant: tamen res illorum domestica est magis tenuis, quàm vt inde ali commodè possint. Hic opus est magna prudentia, ne circumforaneis, pigris se venditantibus sub scholasticorum titulo, robustis mendicis, & potato-ribus, qui potando consumunt quibus vxor & liberi ali deberent, conferatur eleëmofyna. Hic

P

na. Hic

na. Hic valeat regula Pauli : Qui non laborat non manducet. Hortetur ergo pastor suos auditores, vt amanter completantur pios exules, cogitentq; de communi sorte filiorum Dei : vt pauperes scholasticos iuuent liberaliter, sed eos qui sibi fuerint commendati honestis testimonijs : vt mendicos pios subleuent : vt curam habeant eorum, quorum labores non sufficiant alendæ familiæ. Breuiter, fides & charitas sint eleëmofynarum regulæ.

Q V O D P A S T O R D E B E A T
E S S E F O R M A G R E G I S .

P A V L V S requirit à pastore, vt sit forma fidelium, in doctrina & dilectione, &c. Et Petrus iubet, vt presbyteri sint exemplaria gregis. Huc illud Pauli: Estote imitatores mei sicuti ego Christi. Tunc enim (vt quidam ex patribus dicit) verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Huc pertinet & illud Senecæ: Animum non faciunt, qui animum non habent. Et Gregorius ait: Tantum debet actionem populû præcedere actio præfulis, quantum distare solet à grege, vita pastoris. Vnde Augustinus: Talis eligatur pastor, vt eius respectu, cæteri grex dicantur. Et illud Grego-
rij:

rij: Pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio. Pasce verbo prædicationis, doctè: pasce exemplo conuersationis, sanctè: pasce subsidio charitatis, piè.

Porro huc pertinent omnia, quæ supra dicta sunt de moribus pij pastoris. Debet enim pij pastoris vita, norma esse gregis. Vt quemadmodum vox pastoris, est regula vitæ gregis: ita exemplum regulæ, pastoris mores esse debent.

In hoc ergo pastor incumbat, vt retineat fidem & bonam conscientiam, vt possit suos auditores cum Paulo exhortari ad officium præstandum, hoc modo: quæcunque sunt vera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; amabilia, quæcunq; boni nominis: si qua virtus, & si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me.

Vides mi pastor quod non tantum ore doceat apostolus, quid fieri oporteat, verum etiam iubeat suos auditores se intueri, tanquam formam, & exemplar doctrinæ.

Quem si tu imitatus fueris, cum Paulo olim perpetuum & latissimum percipies fructum.

QVAENAM SIT POTESTAS
PASTORIS.

P 2

ETSI

ETSI ex ijs quæ de officio pastoris dicta sunt, intelligi potest quousq; se extendat eiusdem potestas. Nam hæc partibus officij absoluitur: tamen operæ precium iudico, paucis ostendere, quibus terminis claudatur potestas pastoralis. Nam duo genera hominū video hīc non parum peccare.

Sunt enim qui supra modum extollunt potestatem Ecclesiasticam. Sunt rursus qui hanc nimium contemnunt, ac prorsus, ut nullius numeri, vilipendunt. Nos ergo nec illorum superbiam, nec horum *ὀλιγαρίαν* approbantes, in medium nonnulla adducemus, de potestate pastorali, quæ speramus bonos & cordatos viros nequaquam improburos.

Paulus Corinthijs scribens ait: Etsi amplius quippiam glorier de potestate nostra, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, & non in destructionem. His verbis Paulus primū testatur, ministros verbi habere potestatem quandam, dum asseuerat eam potestatem ipsis traditam esse à Domino. Tum addit finem huius potestatis, quæ est ædificatio. Postremò eandem restringit, ne quis ea ad destructionem abutatur. Nullam enim Dominus suis contulit potestatem, ad destructionem Ecclesiæ seu domus Dei, sed ad euertendum regnum tenebrarum. Hoc

Hoc ergo pastor primum sciat, se sublimi potestate donatum esse. Deinde quod hæc potestas, spectet ædificationem Ecclesiæ & non destructionem. Habet autem pastor hanc potestatem non vt Dominus ἀνομήτωρ, sed vt œconomus Christi, qui omnia ad nutum Christi Domini administrat.

Quoniam autem plura sunt potestatis genera, hîc diligenter pastori spectandum est, quæ sibi conueniat, & quæ non: ne vel sibi ius vsurpet quod non habet, vel etiam ius quod habet negligat & prætereat.

Est itaq; omnis potestas aut iuris, aut officij, aut iusti & æqui, aut facti.

POTESTAS IURIS est, qua quis dominium habet in res proprias, suo non alieno iuri subiectas. Vt facultates meæ, sunt sub mea potestate, quia meo iuri & non alieno sunt subiectæ. Habeo ergo in meas res dominium & potestatem. Sic figulus potestatem luti habet, Rom. 9. Et in potestate Ananiæ, erant agri quos vendidit, Acto. 5.

Iam quæritur, num pastor talem potestatem, hoc est, iuris, habeat in Ecclesiam. Papa ait: Scriptura negat.

Christus Matthæi vltimo: Data est mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in terra. Sed papa dicit hanc ipsam sibi à Christi

sto datam. Si papa hanc habet, habuit eam ante ipsum Petrus, cuius successorem se esse gloriatur papa.

Sed quid dicit Petrus? 1. Pet. 5. Non dominantes in clero. Et Paulus 2. Cor. 1. inquit: Non dominamur fidei vestræ.

Proinde qui hanc potestatem, hoc est, dominium in Ecclesiam sibi vsurpant, antichristi sunt & non Christi ministri.

POTESTAS OFFICII est, quæ datur pastori ab eo cuius est minister. Hæc potestas non potest dari, nisi ab eo qui habet potestatem iuris, hoc est, nisi à Christo, qui solus habet in Ecclesiam plenum dominiũ.

Hæc potestas de duabus rebus admonet pastorem. PRIMVM, vt ex officio agat, quæ Dominus ipsi imperavit. DEINDE, quòd ratum sit coram Christo Domino, quicquid facit pastor iuxta officij regulam.

Verum vt plenius intelligatur, qualis sit officij pastoralis potestas, notanda est hæc differentia: Quòd quædam potestas officij sit determinata: quædam indeterminata, quantum quidem ad modos attinet.

DETERMINATA potestas officij pastoralis, est quæ intra certos terminos clauditur, ita vt non liceat istos terminos transire. Hæc potestas eorum est, quæ certo verbo Dei expressa sunt. Huic enim verbo

nec

nec
mor
est.
and
nit.
con
dun
tra
nis,
dide
lij, f
caue
I
paso
non
à De
tis p
te fr
quid
verbi
cite.
tuis:
cipio
mini
quæ
I
state
struc
P

nec addere, nec adimere quicquam ulli mortalium licet. Hæc potestas sublimis est. De ea enim ita ait Christus: Qui vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit. Quemadmodum enim legatus, cui committitur à principe suo, quid agendum sit ipsi & dicendum, legationis fines transgreditur, & fit reus malè actæ legationis, si quicquam mandato principis vel addiderit, vel ademerit: ita minister Evangelij, si Evangelium Christi non purè prædicauerit, officio mala fide fungi conuincitur.

INDETERMINATA potestas officij pastoralis, est quæ in ijs rebus sita est, quæ non sunt expresso verbo Dei determinata à Domino. Verum in hoc genere potestatis primùm sciendum est, quòd hac potestate fretus, non possit, aut non debeat aliquid constituere, quod expressis regulis verbi Dei repugnat, siue expressè siue implicite. Papa ordinat missas, pro viuis & mortuis: sed hæc constitutio pugnat cum principio: frustra colitur Deus mandatis hominum. Idem iudicium esto de plarisque quæ papatus admiratur, vt mysteria magna.

Deinde, debet quicquid ex hac potestate proficiscitur, pertinere non ad destructionem, sed ad ædificationem Ecclesiæ.

Præterea habet hæc potestas locum in

P 4

ceremo-

ceremonijs, & alijs quæ faciunt ad ordinem, & *ὀρχηστρίαν*, in tractatione religionis, & in externo Ecclesiæ regimine.

POTESTAS IUSTI ET AEQUI, est qua licet uti pastori in ijs, quæ ipsi ex iusto & æquo debentur. Potest ergo pastor victum sibi debitum & ordinaria stipendia exigere. Hæc potestas confirmatur multis scripturæ testimonijs. Dignus est mercenarius mercede sua. Item: Dominus ordinavit, ut qui Euangelium prædicant, ex Euangelio viuant.

Hæc potestas iusti & æqui cum officij potestate cohæret. Qui enim officium non facit, nec iure mercedem quærit, nec iustè eam accipit. Viderint ergo Papistæ ociosi, qua fronte tantos thesauros Ecclesiæ deuorant.

Verum hic sciendum est, quòd tametsi iustum & æquum est, si pastor debitam mercedem à suis auditoribus expetit: tamen habet etiam potestatem remittendi quod sibi iure debetur. Quemadmodum exemplum Pauli apertè docet.

POTESTAS FACTI, est facultas ea quæ ad officium pertinenti faciendi. Hæc potestas requirit, ut aliquis sit idoneus ad officium pastorale: hoc est, ut pastor & sciat & possit facere officium, atq; etiam faciat.

faciat. Huc pertinet cura Episcoporum, seu superattendentum. Nam & eorum qui recipiendi sunt ad ministerium, & eorum qui iam recepti sunt, curam habebit vigilans superattendens seu episcopus: explorabit an eligendus sciat & possit facere officium, inspiciat an factus pastor officium ritè faciat.

Verum quoniam ad officium particulare Episcoporum devenimus, adijciam duo, examen eorum qui sunt recipiendi ad ministerium, & visitationis capita.

Examen eorum qui sunt recipiendi ad ministerium verbi, triplex esse debet: an sint docti, an mores tantæ functioni congruant, an sint ad faciendum officiū idonei.

Doctrinæ corpus & partium analysin tenere oportet eum, qui ad officium pastorale admittendus est. Præcipua religionis capita teneat, cum definitionibus, divisionibus, scripturæ sententijs, & exemplis de singulis. Teneat quoque seriem hystoriarum sacrarum: argumenta singulorum librorum, in veteri & nouo Testamento.

Si quis obijciat, nimis rigidum examen futurum, si ista omnia à futuro parocho postularentur. Respondeo tam augusto officio non debere præfici rudes & imperitos asinos, quales, proh dolor, multos in

ministerio Euangelij esse nouimus, & præcipuas obtinere parochias.

In moribus spectentur, educatio, vita acta, præfentes mores, testimonia aliorum. Breuiter, sint mores quales Paulus requirit, scribens Timotheo & Tito.

Vt quis sit idoneus, requiritur ætas iusta, & docendi donum.

Capita uisitationis sunt :

1. An ministri suum officium faciant.
2. Exhortatio populi ad obedientiam erga Euangelium.
3. Cura administrationis bonorum Ecclesiasticorum.
4. Commendatio pauperum apud populum : uidelicet, ut singuli aliquid conferant in usus pauperum.
5. Exhortatio, ut singuli suum officium faciant in timore Dei, fide, & patientia, &c.

QVODNAM PRAEMIUM SIT
PASTORIS RECTE
præstantis officium.

PRAEMIUM pastoris rectè præstantis officium, duplex in scripturis inuenio. Vnum, quod in hac uita datur : alterum, quod promittitur in futura. Illud appellare licet temporale : hoc, æternum. Nam ut illud tempore clauditur : ita hoc æternum durat. Tem-

Temporalis præmij partes sunt quatuor: Victus, honor, bona conscientia, & donorum augmentum.

De his partibus ordine ex scripturis dicam, vt ijs pastor, tametsi principaliter ad officium præstandum cogitatione gloriæ Dei, & amore pastoris Christi, vt supra explicatum est, excitetur: tamen moueatur minus principaliter hisce præmijs quæ filius Dei ordinauit pastoribus. De victu ergo primum dicendum est.

VICTVM deberi pastoribus Paulus testatur in multis locis. Dicit enim constitutum esse à Domino, vt Euangelio seruites de Euangelio viuant. Et Christus dicit Matthæi 10. Dignus est operarius mercede sua. Et Paulus rursus, Galatis scribens ait: Communicet autem qui instituitur in sermone, ei qui se instituit omnia bona. Neq; hinc alienum est dictum, Deutero. 12. Cæue ne derelinquas Leuitam in omni tempore quo versaris in terra.

Huiusmodi sunt plurima testimonia, quæ testantur victum & stipendia deberi ministris Euangelij.

Hæc testimonia tria docent.

PRIMUM, quòd officium pij magistratus, sit ordinare ministris Ecclesiarum stipendia.

SECUN-

SECUNDVM, quòd auditores debeant iure naturali & diuino, prædicatoribus iusta præmia.

TERTIVM, quòd ministri verbi possint, & accipere stipendia, & exigere ordinariam mercedem ab ijs, qui spontè non soluunt: quemadmodum supra indicauimus, cum ageremus de potestate pastorali.

Verum qui iniquiores sunt ministris verbi, obijciunt mandatum Christi, exemplum Pauli, & exprobrationem Michæ propheta.

Mandatum Christi est: Gratis accepistis, gratis date. Hinc inferunt non licere ministris stipendia ordinaria petere: sed perperam, vt ex alijs locis apparet. Non enim gratuita dispensationi repugnat, quòd Ecclesiæ doctores publicis stipendijs aluntur, modò vltro & liberaliter Christo & Ecclesiæ seruiant: victus autem sit quasi laboris accessio. Significat quidem Christus, neminem sincerum fore verbi Dei ministrum, nisi qui operam suis gratis impendere paratus sit: non tamen tollit, quod antea dixit: Dignus est operarius mercede sua. Et Paulus Corinthijs scribens ait: Quis militat proprijs stipendijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis

gredi
bis si
si nos
H
Chri
dia,
E
1. Cor
noluit
Ephesi
victum
tè doc
sed cu
assigna
quid re
Quand
prædica
dij ratic
casio, q
stus gra
dicare
non fu
dia, vt
spectar
Exp
est: S
bant.
bant.
bitur.

gregis non edit? & paulò post: Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos vestra carnalia messuerimus?

Hæc dictorum collatio, satis ostendit Christum non prohibere ministris stipendia, sed præferendam esse gloriam Dei.

Exemplum Pauli, cuius ipse meminit, 1. Corinth. 9. & Acto. 20. obijciunt, qui noluit stipendium accipere à Corinthijs & Ephesijs, sed suo artificio & sibi ac socijs victum quæsiuit. Paulus in Corinthijs aperte docet iure debere ministris stipendia, sed cur ipse non acceperit, hanc causam assignat. Omnia (inquit) sustinemus, ne quid remoremur Euangelium Christi.

Quando enim aduersarij viderunt, Paulum prædicare Euangelium, nulla habita stipendij ratione, præcidebatur calumniandi occasio, qua putari poterat Apostolus, quæstus gratia reliquisse Iudaismum, & prædicare Euangelium. Deinde eo tempore non fuerunt ordinaria constituta stipendia, vt nunc sunt. Quare & temporis ratio spectanda est.

Exprobratio prophetæ Michææ 3. hæc est: Sacerdotes eius pro mercede docebant, & prophetæ eius pro pecunia diuinabant. Pœnam subiicit: Zion quasi ager arabitur. Qui hoc obijciunt, deberent quæ in
codem

eodem contextu præcedunt aspicere. Principes eius pro muneribus iudicabant. Non solum ergo sacerdotes, verumetiam iudices auaritia corruptos ostendit. Sicuti ergo licet iudicibus & principibus, sua stipendia accipere: ita & sacerdotibus & ministris Euangelij. Sed vtriusque caueant, ne pecuniam potius quærant, quam iusticiam. Damnantur ergo prophetæ voce, cum principes, tum sacerdotes, qui ad quæstum abutuntur officio.

SECUNDAM partem præmij pastoris diximus honorem esse. Paulus enim aperte dicit: Qui benè præsent presbyteri, duplici honore digni sunt. Deinde, ut patres spirituales, coluntur à pijs auditoribus. Præterea, non potest maior honor esse, quam quod sint cooperarij Dei, & cœconomi mysteriorum Dei. Hic caueat pastor, ne honorem spectet suum, quærendo eum per aliorum contemptum. Nam honor qui debetur ministerio, spontè sequitur fugientem. Papa se præponit Cæsaribus & Regibus, qua in re non se Christi apostolum, sed apostotam declarat, & antichristum ostendit. Christus vult suos non dominium honoris quærare, sed ministerium, quo omnibus se piè subijciant. Caueat ergo pastor, ne hanc præmij sui partem,

rem,
T
entia,
in tim
Dei,
Ha
lus)
quitur
cit se l
diacor
fidei c
Timor
am, re
Har
pastor,
officiu
am & E
conscie
qui sine
Ecclesie
quam gr
quarun
causa n
tant, f
tione,
Q
rum m
unt off
illud:

tem, impuro affectu contaminet.

TERTIA pars præmij est bona conscientia, quæ comitatur eum, qui fidē retinens in timore Dei facit officium, solam gloriam Dei, & ædificationem Ecclesiæ spectans.

Hæc est gloriatio nostra (inquit Paulus) testimonium conscientia nostræ. Loquitur enim de ministerio suo. Et alibi dicit se seruire Deo pura conscientia. Qui & diaconos hortatur, vt teneant mysterium fidei cum pura conscientia. Præcipit quoq; Timotheo suo, vt militet honestam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Hanc conscientiam consequitur pius pastor, si, vt dixi, & ipse retineat fidem, & officium faciat sincerè, spectans Dei gloriam & Ecclesiæ ædificationem. Huius bonæ conscientia iacturam faciunt, non solum qui sine legitima vocatione obtrudunt se Ecclesiæ, verumetiam qui se potius curant quam gregem, & sua magis quam Christi quærunt. Quales sunt omnes, qui auaritia causa minores parochias maiorib. commutant, sine superiorum autoritate & vocatione, &c.

QUARTA pars temporalis præmij eorum ministrorū, qui fideliter & sincerè faciunt officium, est augmentum donorū, iuxta illud: Habenti dabitur: hoc est, ei qui rectè uti-

Et utitur exiguis donis quæ habet, benedictione Dei augentur Indies dona. Hoc experiuntur quotidie omnes pii ministri. Proinde Augustinus recte dicit: Sæpe officium impertiendi, meritum est accipiendi.

Beatus Lutherus non in principio causæ Euangelij ita excelluit ut postea: habuit sua quædam tenuia principia. Animadvertit indulgentiarum Papisticarum vanitatem, huic se fortiter opposuit, non cogitans de abrogando papatu. Verum in hac lucta augentur dona Dei Luthero, & quotidie novis incrementis fiunt auctiora: adeo quod tandem electum organon Dei factus sit, quo Deus suam Ecclesiam purgare ab abominandis Papistarum erroribus voluit. Hunc sanctum virum pii pastores sibi proponant, ac in timore Dei faciant officium: quod si fecerint, sentient promissionem Christi, qua promittit incrementa recte utentibus collatis donis, non fore inanem.

Dixi de præmio temporali pastoris pie & sancte præstantis officium. Sequitur præmium quod in futura vita propositum est, iuxta promissiones Dei.

De hoc præmio loquitur Petrus I. Pet. 5. ubi hortatur Episcopos, hoc est, pastores, ut non coacte, sed voluntarie: neque
turpis

turpis
patu f
ruerit
marce
De
ait: C
sum o
supere
quam r
Et Dar
gebunt
ad iust
stellz in
In t
promissi
pie suo
fide intu
dam offi
tenti fue
test, ut g
pergant
Nam int
nimare
Sape c
est, à q
longi &
tan per
dam pra
tis pius

turpis lucri causa, sed liberaliter Episcopatu fungantur. Et (inquit) cum appa-
ruerit princeps pastorum, reportabitis im-
marcescibilem gloriæ coronam.

De hac corona & Paulus loquitur, cum
ait: Certamen præclarum decertavi, cur-
sum consummaui, fidem seruavi. Quod
superest, reposita est mihi iusticiæ corona,
quam reddet mihi Dominus in die illo, &c.
Et Daniel 12. Qui autem docti fuerint, ful-
gebunt quasi splendor firmamenti, & qui
ad iusticiam erudiunt multos, tanquam
stellæ in seculum, & in æternum.

In hoc præmium, quia bonitate Dei
promissum est, & propositum pastoribus
piè suo fungentibus officio, debet pastor
fide intueri, & excitari ad strenuè facien-
dum officium. Nisi enim in hunc finem in-
tenti fuerint pastores, fieri nullo modo po-
test, vt gnauiter in cursu vocationis suæ
pergant: quin potius subinde deficient.
Nam innumera sunt offendicula, quæ exa-
nimare possent etiam maximè cordatos.
Sæpè cum ingratis hominibus negotium
est, à quibus rependitur indigna merces:
longi & immensi labores, sæpè irriti: Sa-
tan peruersis suis machinationibus inter-
dum præualet. Ergo ne frangatur aduer-
sus pius Christi seruus, vnicum hoc re-
medium

Q

medium habet, vt in Christi aduentum oculos conuertat. Ita fiet, vt suum laborem, qui carere profectu videtur apud homines, gnauiter obeat: cui tanta merces apud Dominum est reposita.

Hæc sint breuiter de præmio pastoris dicta, quibus suo loco mouebitur ad sedulo præstandum officium.

QVAE POENA SIT PASTORVM MALE FVNGENTIVM OFFICIO.

VT AVTEM magis excitetur pastor ad faciendum officium, ponat sibi ob oculos pœnas neglecti officij, quæ sunt cum temporales, tum æternæ.

Temporales pœnæ sunt variæ.

Quædam propriam pastoris personam attingunt, vt mala fama apud pios.

Quædam conscientiam tangunt. Qui enim perfidè officium facit, vastat conscientiam, quam postea circumfert perpetuam testem sui sceleris.

Quædam in donis fiunt, iuxta illud: Ei qui non habet, auferetur ab eo quod habet: hoc est, qui donis Dei ad Ecclesiæ ædificationem non vtitur, spoliatur paulatim donis, vt cæcus factus nec suam salutem cogitet, nec aliorum curam habeat: donec tandem

tandem
proba
& imp
Qu
let eni
bi, pu
in exer
Ha
leues f
rum p
M
cit op
quæ o
pertim
lis 3. C
morier
cutus f
via sua
quitate
eius de
pœna t
cium.
requir
eius,
causa
H
la, q
morte
ad me

tandem tradatur iusto Dei iudicio in reprobam mentem, vt probet improbanda, & improbet probanda.

Quædam in familiam redundant. Solet enim Deus impietatem ministrorū verbi, punire in vxoribus, & liberis, vt apertè in exemplo Heli sacerdotis conspicitur.

Hactenus de temporalibus pœnis, quæ leues sunt respectu spiritualium & æternarum pœnarum.

Maledictus (inquit propheta) qui facit opus Domini fraudulenter. Quænam, quæso, pœna maledictione diuina magis pertimescenda? Notus est locus Ezechielis 3. Quum dixerò ego impio, moriendo morieris, & non admonueris eum, nec locutus fueris, vt caueat impius, vt recedat à via sua impia, vt viuat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Vide quanta pœna manet pastorem non facientem officium. Sanguinem, inquit, eius de manu tua requiram: hoc est, tibi imputabitur mors eius, & pœnas de te sumam, quòd fueris causa interitus & perditionis eius.

Huc illud Gregorij: Nos super ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes

Q 2 vide-

videmus. Idem paulò infra : Sanguis morientis de manu speculatoris requiritur, quia peccatum subditi, culpa esse præpositi, si tacuerit, reputatur.

Huc & illud Ezech. 34. Væh pastoribus Israël, qui pascunt se solos.

In decretis pontificijs habetur hoc cuiusdam patris dictum : Is qui præest, si præter voluntatem, vel præter quod in scripturis sanctis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falsus testis Dei aut sacrilegus habeatur. Iam qua pœna sit dignus qui falsum contra Deum testimonium dicit, & sacrilegè quod Dei est furatur, facile est cogitare.

Has pœnas cogitabit pastor, vt earum cogitatione accendatur, ad diligentiam in officio, ne vel pigritia, vel metu officium negligentius faciat.

Figura quædam insignis pastorum, qui ouile Christi extruunt, & non tamen ea diligentia qua deceret sibi cauent, in fabris arca Nohe proposita est. Hi enim extructa arca perierunt in diluio, seruato Nohe cum suis. Caueant ergo pastores, ne dum Ecclesiam suo ministerio extruunt, se ipsos fluctibus maledictionis, vel officij præstandi negligentia, vel morum prauitate obijciant.

Hæc

Ha
hoc te
ostend
est, cu
cum v
conue
cum a
fiastic
O
Iesu
ciat o
suo fi
mus :
in Do
vt ita
tiam i
tes, b
Domi
qui
i

Hæc sunt quæ fratribus communicare hoc tempore visum est de pastore bono, vt ostenderem, qualis ipse pastor apud se, hoc est, cum secum agat solus: qualis in domo, cum vxore, liberis, & familia: qualis in conuersatione, quoties opus fuerit foris cum alijs agere: & qualis in officio Ecclesiastico esse debeat.

OR O æternum patrem Domini nostri Iesu Christi principis pastoris, vt nos faciat organa vtilia suæ Ecclesiæ, regatq; nos suo spiritu, vt ea quæ illi grata sunt faciamus: quò & pastores & oues vnum simus in Domino coniuncti vinculo dilectionis, vt ita retinentes fidem & bonam conscientiam in hoc vitæ cursu, lætiq; hinc migrantes, beata immortalitate donemur, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto in vnitæte diuinitatis viuuit ac regnat in omnia secula seculorum,

AMEN.

Q 3

PRO-

Hæc

PR
XX
M

H
a
r
mine C
ter rena
cultum
intelligi

Phi
tibus se
cultus
Socrat
tas pra
nullus
um ve

N

PROPOSITIONES
XXXVII. DE LEGITI-
MA VERI CULTVS
Dei ratione.

I.

Homines ad prædicationem Eu-
angelij (quæ est pœnitentiæ, &
remissionis peccatorum in no-
mine Christi) conuersi, & spirituali-
ter renati, Deo spiritualem quendam
cultum debent, quem soli credentes &
intelligunt, & præstare possunt.

II.

Philosophi quidem omnibus æta-
tibus se torserunt, in tradenda huius
cultus ratione: & quidam ex illis, vt
Socrates, Plato, Xenophon, &c. mul-
tas præclaras gnomas reliquerunt: sed
nullus eorum scientiam colendi De-
um veram monstrauit.

III.

Nam etsi principia quædam hu-
ius

Q 4

ius

ius cultus, naturæ lumine viderunt philosophi: tamen, priusquam ad rem deuentum est, in horribiles demersi tenebras, & se & suæ doctrinæ sectatores miserè deceperunt: ac à vero Deo aberrantes, creaturam & dæmonia coluerunt, sicuti cum historia mundi Paulus apostolus testatur.

I I I I.

Verum de tenebris istis suam Ecclesiam educit Dominus, prætenso verbi sui lucerna, sicuti sanctus ille rex David testatur, cum inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

V.

Huius lucernæ splendore, quæ ad substantiam huius diuini cultus pertinent, inquirere operæ precium est, ne vel cum philosophis umbras inanes sectemur, vel de vno errore in alium cum Monachis, spreta lucerna cælesti feramur.

Sunt

Sunt autem quatuor, quibus probè ex verbo Dei perceptis, solida cultus Dei scientia haberi potest.

1. Regula, ad quam tanquam ad Lydium lapidem exigendus est cultus Dei.
2. Fundamentum.
3. Definitio seu Ratio.
4. Cultus Dei in suas quasdam formas sectio.

V I I.

Regula cultus Dei generalis est hæc: Nullus cultus Deo acceptus est, nisi quem ipse Deus proprio suo verbo ordinat ac homini commendat.

V I I I.

Hanc regulam vox Dei apud Isaiam, & Dominus in Euangelio confirmat, cum inquit: Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum. Et Paulus clarè damnat omnes

Q 5

nes

nes ἐθελοθρησκείας, hoc est, cultus, quos homines bona, ut dicunt, intentione excogitant. Huc accedit quod Paulus disertè pronunciat, impossibile esse placere Deo sine fide. Et rursus: Quicquid non est ex fide peccatum est.

I X.

Hanc ergo regulam teneant p̄j, & quiduis potius patiantur, quàm ut sinant eam sibi vlla Diabolorum, aut hominum tyrannide, hypocrisis & sophistica eripi. Nam ea amissa, omnis superstitionis & idololatriæ ianua est aperta, & regnum Christi inuaditur.

X.

Vsus huius regulæ est multiplex. Primum enim ea stabilitur autoritas legislatoris Dei. Nam ut in Republica, vbi liberum est cuiuslibet condere leges pro suo arbitrio, autoritatem supremi domini vilescere necesse est: ita etiam in Ecclesia, Dei autoritas
con=

cont
tus
hanc
Don
pulu
næ m

I
error
co, ne
nes &

Pr
ad au
standa
rum
Eccle
nè cu
Dei
Qua
ges
bum

contemnitur, quando alij alios cul-
tus Ecclesiæ obtrudunt. Quare cum
hanc autoritatem sibi soli vendicat
Dominus in primo præcepto, caueat
pulus & cinis, ne sibi honorem diui-
næ maiestatis vsurpet.

X I.

Deinde, hæc regula liberat nos ab
errore Ethnico, Pharisaico & Papisti-
co, ne cum illis sine modo superstitio-
nes & *εθελοθρησκείας* cumulemus.

X I I.

Præterea nos animat hæc regula
ad audacter contemnendas, & dete-
standas omnes paparum ac monacho-
rum regulas ac leges, quas volunt
Ecclesiæ obtrudere, cum infinitis pe-
nè cultus generibus, de quibus vox
Dei nullum planè verbum habet.
Quare vtut speciosæ sunt humanæ le-
ges de cultibus, quos ignorat ver-
bum D E I, securè à pijs omnibus
con-

contemnantur ac vitentur, non secus
atq; serpens, qui in paradiso decepit
Heuam.

X I I I.

Donec enim steterit vox Dei, &
regula quam sequimur, fieri aliud non
potest, quàm vt omnes cultus, quos
non tradit verbum Dei, sint cultus dæ-
moniorum, quemadmodum & Pau-
lus testatur.

X I I I I.

Sequitur secundo loco fundamen-
tum cultus Dei, quod in quouis homi-
ne volente Deum ritè colere, iactum
esse oportet. Huius fundamenti duæ
sunt partes: Cognitio Dei, & cogni-
tio nostri.

X V.

Cognitionem Dei consequimur
duabus rebus, nimirum verbo & te-
stimonio. Hæ enim duæ res coniun-
ctæ docent nos, quòd Deus sit fons
omnis virtutis, iusticiæ, sapientiæ, ve-
rita-

ritat
uand
illi so

Q
pars f
ipse D
gypti
ent fa
buntq

C
ram p
Dei, e
petend
nis, e
ne, ex

F
ferre
& iur

ritatis, salutis: quòd Deus sit ad iu-
uandum promptus sua natura: quòdque
illi soli omnis gloria sit tribuenda.

X V I.

Quod autem hæc Dei cognitio sit
pars fundamenti cultus Dei, testatur
ipse Deus, Isaiaë 19. Cognoscent Aeg-
yptij Dominum in die illo, & faci-
ent sacrificia & oblationem, voue-
buntque vota Domino ac reddent.

X V I I.

Cognitio nostri, quam dixi alte-
ram partem esse fundamenti cultus
Dei, ex trium rerum contemplatione
petenda est: nimirum ex fine creatio-
nis, ex virium præsentium æstimatio-
ne, ex facilitate lapsus in peccatum.

X V I I I.

Finis docet officium, quod est res-
ferre imaginem Dei in sincera pietate
& iusticia vera: vires præsentis do-
cent,

cent, quod præstare Deo debitam obedientiam minimè valeamus: lapsus frequentes nos admonent fragilitatis nostræ & infirmitatis.

X I X.

Harum rerum consideratio non hypocritica, facit, vt omnem gloriam di materiam abijciamus, & nos soli diuinæ bonitati committamus, omni fiducia salutis coniecta in filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Nam ipse fons ille est, de quo Pater cœlestis vult nos aquas salutis haurire.

X X.

Tertio loco proposui cultus Dei definitionem certam tenendam esse, qualis est hæc. Cultus Dei est opus mandatum à Deo, factum ex fide, in celebrationē gloriæ Dei principaliter.

X X I.

In hac definitione sunt tria, quæ necessariò coniuncta sunt in vero Dei cultu:

cultu
tio D
ris,
habe

C
tus D
potest
teriam
rit. V
celebra
perage
non f
mater
super

S
ritur
Nam
nisi f
it Ze
vtriq
quia i

cultu: opus præceptum, fides, celebra-
tio Dei. Nam si vnum ex his demse-
ris, actio quantumuis speciosa, non
habet rationem cultus Dei.

X X I I.

Opus præceptum, est materia cul-
tus Dei, sine qua cultus Dei esse non
potest. Verum si quis peregrinam ma-
teriam substituatur, cultus Dei non e-
rit. Vt inuocatio sanctorum est opus,
celebrare missam est opus, rosarium
peragere est opus: sed quia à Deo
non sunt præcepta, non possunt esse
materia cultus Dei, sed impiæ potius
superstitionis.

X X I I I.

Secundum, quod necessariò requi-
ritur in ratione cultus Dei, est fides.
Nam opus præceptum non est cultus,
nisi fides sit eius effectrix. Castus fu-
it Zenocrates, castus fuit & Ioseph:
vtrique castitas erat præcepta. Sed
quia ille fide vacuus erat, eius castitas
non

non fuit cultus Dei : huius vero , quia fides prælucebat , cultus Deo gratissimus , qui in gloriam Dei in tota Aegypto cessit . Similiter Davidis militia cultus Dei fuit , Scipionis minimè .

X X I I I I .

Quod autem fides necessario requiratur , ut quæ formet opus , multæ sunt rationes . **P R I M A** , nullum opus placet , nisi prius persona placeat , placet autem fide . **S E C V N D A** , opus non placet nisi sit iustum : nunc autem ut persona iustificatur fide , ita opera , quæ facit iustificatus , iusta habentur propter fidem . **T E R T I A** , fides facit ut voluntarium sit nostrum obsequium , & non veluti coactum minoribus legalibus , quod in cultu Dei requiritur . **Q V A R T A** , fides facit ut opus externum sit spiritualis cultus . Oportet enim omnem Dei cultum spirituales esse . **Q V I N T A** , differentiã facit fides inter cultum verum Dei , & alias omnes superstitiones .

S E X

S E X
& in
contP
lucet
berun
carna
corde
quia
spiritup
fuit in
brius ,
præcep
clara f
us era
te ani
mina
Corr
sobri
spirite
des.

SEXTA, fides tegit defectus operum
& infirmitates multas, quibus alioqui
contaminaretur cultus Dei.

X X V.

Proinde omne opus, cui non præ-
lucet fides, siue præceptum sit, siue li-
berum: impurum, superstitiosum,
carnale est. Impurum, quia ex impuro
corde proficiscitur: superstitiosum,
quia non regitur fide: carnale, quia
spiritu Christi destituitur.

X X V I.

Pharisæus in Euangelio liberalis
fuit in pauperes, fuit castus, fuit so-
brius, ex iustè partis vixit. Hæc, si
præceptum tantum consideres, præ-
clara fuerunt omnia: sed, quia vacu-
us erat fide, omnia ista sunt impurita-
te animi contaminata, atq; ideo abo-
minabilia coram Deo. Contra autem
Cornelij aulici eleēmosyna, castitas,
sobrietas, iusticia, placuerunt Deo, vt
spiritualis cultus. Nam prælucebat fi-
des. R Hinc

Hinc facile est iudicare, quid sit sentiendum de operibus, quæ Papa ut cultum Dei, tyrannide, sophistica, & hypocrisi tuetur: qualia sunt, monastica vita, vota impuri cœlibatus, aqua lustrali aspergi, inungi vnguento pontificio, inuocare sanctos, peregrinari ad loca longinqua religionis ergo, adorare reliquias sanctorum, misere pro viuis & mortuis, circumgestare panem, reponere panem intra cancellos ut adoretur, & eius generis penè infinita: quæ omnia sunt aper- tissimi characteres Antichristi.

X X V I I I.

Huiusmodi itaq; Papalia opera qui ponit in cultu Dei, quid sit cultus Dei nunquam didicit. Nam nihil in ijs est, quod ad cultus Dei rationem pertinet. An non aperte contra regulam supra traditam pugnant? An non omnibus partibus destituuntur, quæ requiruntur in vera cultus Dei ratione? Quare
ista

ista
hoc
facere
ram

T
mem
ptum
bratic
profic
tendat
necess
finis e

Ho
nem q
riam
feci e
um:
mini
strur
stini
que t

ista relinquamus Satanæ Toparchæ,
hoc est, Antichristo : & nos sequamur
facem verbi Dei, quæ sola nobis ve-
ram viam cultus salutaris monstrat.

X X I X.

Tertium definitionis cultus Dei
membrum fecimus, vt opus præce-
ptum ex fide factum, tendat in cele-
brationem gloriæ Dei. Vt enim à fide
proficisci debet omnis cultus Dei : sic
tendat in gloriam Dei principaliter
necesse est, ita vt gloria Dei sit vltimus
finis operis.

X X X.

Hoc confirmatur Isaiaë dicto : Om-
nem qui inuocat nomen meum, in glo-
riam meam creauí eum, formauí eum,
feci eum. Et Dominus apud Matthæ-
um : Sic luceat lux vestra coram ho-
minibus, vt glorificent Patrem ve-
strum cœlestem. Huc & illud Augu-
stini aduersus Iulianum : Noueris ita-
que non officijs, sed finibus à vicijs

R 2

discer-

discernendas esse virtutes. **Officium** autem est, quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est. Cum itaq; facit homo aliquid, ubi peccare non videtur: sed non propter hoc facit propter quod facere debet, peccare conuincitur.

X X X I.

Etsi autem vltimus & principalis finis cultus Dei, est gloria Dei: tamen nihil prohibet gradus esse mediorum finium, qui vltimo destinantur. Dauid militat, vt defendat ciues: defendit ciues, vt incolumis sit respublica: vult incolumem rempublicam, vt doctrina religionis conseruetur, & propagetur: idq; ideo vt Deus glorificetur.

X X X I I.

Postremum, quod spectandum in cultu Dei proposui, est eius in suas formas seu potius modos sectio. Hæc sectio ideo obseruanda est diligentius, quia non solum ostendit quàm latè pateat

tea
eoi
pro
pu
ler
liu
via
ver

du
ru
ne
ste

qu
in
li
co
ca
ri

teat cultus Dei : verumetiam errorem eorum confutat, qui ociosos homines, propterea quod non attingant rempublicam, solos Deum in suo ocio colere existimant : quasi non multo melius militi, iudici, marito, &c. pateret via ad colendum Deum, quàm ociofo ventri qui fumos auro commutat.

XXXIII.

In vniuersum itaque cultus Dei duplex est : Internus & externus, quorum posterior sine priori, cultus rationem non habet . Prior est animi : posterior est corporis .

XXXIII.

Vterque Deo iuste debetur. Nam quod ad animam, creauit hominem ad imaginem suam, & corpus finxit ex limo terræ, ac omnes vires contulit ac conseruat. Huc illud Pauli : Glorificate Deum in corpore vestro & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

XXXV.

R 3

Vt in=

Vt internus cultus est motus cordis purificati fide, congruens cum lege Dei: ita externus est actio externa, quæ motu cordis regitur, congruens ad normam voluntatis Dei. Vterque differentias recipit, iuxta gradus præceptorum decalogi, & discrimina vocationum in statibus à Deo approbatis, hoc est, in œconomico, politico, & ecclesiastico. Hi enim tres status, soli approbantur à Deo cum omnibus artibus & officijs, quæ faciunt ad eorum incolumitatem conseruandam.

XXXVI.

Hæc varietas cultus diuini non evertit quod supra tradidimus, videlicet quod omnis cultus Dei sit spiritualis. Hæc enim differentia non sumitur à qualitate operis, sed à qualitate animi, qui agit spiritum Dei. Propter hunc spiritus motum, omne opus factum ex fide in celebrationem Dei, dicitur & est spiritualis cultus.

Solos

Pate
lunt
veri
tur,
ar

XXXVII.

Solos enim hos cultores requirit
Pater cœlestis, teste filio, qui eum co=
lunt in spiritu & veritate: hoc est, qui
veris motibus Spiritus sancti agun=
tur, ad præstandam Deo obedientia=
am, cum communem cum om=
nibus pijs, tum propriam
cuiusq; in sua vo=
catione.

R 4

I N=

75

I

Vita
Nec
Puri

Qua
i.

Men
Dic
Imp
Pur
Ord
Fru
Baj

Uti
Con

133

I N D E X R E R V M
Q V A E I N H O C L I -
B E L L O E X P L I -
C A N T V R .

Institutio pastoris quatuor constat partibus,
 pagina 1

P R I M A P A R S .

Vita pastoris priuata & solitaria 2
 Necessitas puritatis in vita pastoris, pag. 3
 Puritas duplex: Animi & corporis, pag. 4

I.

Quae ad animi puritatem requiruntur ibid.
 I. MENS non renatorum qualis, pag. 5
 Mentis vox tria complectitur ibidem.
 Dictum S. Maximi 6
 Impuritas mentis quotuplex ibid.
 Purgatio mentis ibid.
 Ordinatio lectionum sacrarum in Ecclesia 8
 Fructus pie lectionis 9
 Basilius Magnus Psalmos alternatim cani ordi-
 nauit ibid.
 Utilitas Psalmorum ibid.
 Consilium, 1. De lectione Psalmorum 10
 2. De versione Georgij Maioris ibid.
R 5 3. De

I N D E X.

3. De libris noui Testamenti præcipuè legendis	II
4. De libris veteris Testamenti præcipuè legendis	ibid.
5. De corpore doctrinæ scripto à Phil. Melanthonè	12
6. De alijs Philippi commentarijs	13
7. De aliorum commentarijs postea legendis	ibidem
II. COGITATIONVM principia & causæ	
	14
Necessitas vitandi malas cogitationes	15
Bernhardus de cogitationibus	16
Causæ perniciosarum cogitationum particulares	ibid.
Remedia contra tentationes à Diabolo ortas in doctrina	17
Cogitationes à sensibus ortæ	18
Sensus fenestræ mortis	ibid.
Fenestra visus	ibid.
Occlusio eiusdem	19
Fenestra auditus	20
Occlusio eiusdem	21
Cogitationes ortæ à memoria & earum remedium	ibid.
Cogitationes ortæ à complexione hominis cum remedijs	ibid.
Remedium generale aduersus malas cogitationes	22

III. A F.

111.
Corpor
Anat.
1.
2.
3.
Anim
1. I
Ita
2. C
M
111
V.
COR
Exerc
1.
2.
3.
4.
Precat
S E
D I
1.
11.

I N D E X.

<i>III. AFFECTVS & eorum differentia ibid.</i>	
<i>Corporalium affectuum origo & effecta</i>	23
<i>Auaritiæ tres fines</i>	24
1. <i>Voluptas & eius remedia</i>	25
2. <i>κρυδοξία & eius remedia</i>	26
3. <i>Metus futura inopiæ & eius remedia</i>	28
<i>Animales affectus & eorum genera</i>	30
1. <i>Ira triplex</i>	31
<i>Ira vitiosa remedia</i>	32
2. <i>Concupiscentiæ species</i>	33
<i>Macarius de concupiscentia</i>	36
<i>IIII. VOLUNTAS, & eius modi</i>	37
<i>V. STUDIUM</i>	38

I I.

<i>CORPORIS disciplina</i>	28
<i>Exercitia corporis</i>	39
1. <i>Epicureum</i>	39
2. <i>Pharisaicum</i>	40
3. <i>Politicum</i>	41
4. <i>Christianum</i>	ibid.
<i>Precandi formula pro conseruanda hac vitæ innocentiâ</i>	44

*SECUNDA PARS, OCTO
DISCIPLINÆ DOMESTICÆ*

<i>capita continet</i>	45
I. <i>Qualis vxor ducenda parrocho</i>	46
II. <i>Affectus pastoris erga vxorem</i>	53
III. <i>In-</i>	

I N D E X.

III.	Instructio vxoris	54
IIII.	Educatio liberorum	57
V.	Tractatio familiae seruorum & ancillarum	62
VI.	Cura & prouidentia de victu & necessarijs	64
VII.	Liberalitas in pauperes	66
VIII.	Totius domus precandi ratio & tempus	73
	Precandi formula	75

T E R T I A P A R S.

	De conuersatione pastoris politica & externa	76
I.	Quid in vita communi spectandum sit pastori	78
	I. Conuersatio cum maioribus, paribus, inferioribus	78
	2. Moderatio, I. In vestitu	81
	2. In gestibus	87
	3. In sermone	90
	4. In conuiujs	100
	3. Candor in contractibus	109
II.	Quid in cœtu Ecclesiastico spectandum	III
IIII.	Quid spectandum in consilijs & deliberationibus	II5
	I. De doctrina controuersa	II6
	2. De ministerio	II8
	3. De ijs quæ ad vtrunq; referuntur	ibid.
	Q V A R.	

I N D E X.

Q V A R T A P A R S.

De officio pascendi oves Christi 122

I. *Quodnam sit pastoris officium* 124

 1. *Docere gregem Christi verbum Dei* 144

 2. *Administrare illi sacramenta* 176

 3. *Regere ipsum disciplina* 184

 4. *Precari pro grege* 203

 5. *Curam pauperum habere* 208

 6. *Formam gregis esse* 210

II. *Quenam sit potestas pastoris* 211

 1. *Iuris* 213

 2. *Officij* 214

 3. *Iusti & equi* 216

 4. *Facti* *ibid.*

III. *Quodnam sit premium rectè præstiti officij* 218

 1. *Temporale* 219

 2. *Aeternum* 224

IIII. *Quæ sit pœna neglecti officij* 226

 1. *Temporalis* *ibid.*

 2. *Aeterna & spiritualis* 227

F I N I S.

In officina Voegeliana.

54
57
incilla-
62
necessa-
64
66
tempus
75
S.
terna 76
m sit pasto-
78
tribus, infe-
78
81
87
90
100
109
adum III
delibera-
115
116
118
ibid.
VAR-

